DE EPHETARUM ATHENIENSIUM ORIGINE

COMMENTATIO ACADEMICA

SCRIPSIT

ET PERMISSU AMPL. ORD. PHILOS. UPSAL.
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS
IN PUBLICO DEFENDET

EDVIN ÖSTERBERG
LIC. PHIL. NAT. HOLM.

IN AUDITORIO VIII D. XIV DEC. MDCCCLXXXV

H. A. M. S.

UPSALIAE
TYPIS DESCRIPSIT EDV. BERLING
MDCCCLXXXV.

Greek Sather

De ephetis Atheniensibus ante aliquot annos magna exstitit inter viros doctos controversia, quae, quamquam ad finem perducta nondum existimari potest, tamen non nihil profecisse videtur ad nostram de iis cognitionem augendam. Propositum mihi fuit, ut explicarem, quid de origine ephetarum crederem statuendum esse, cognitis et perpensis quae in certamine illo ad hoc tempus in lucem prolata essent.

Ad quod propositum aptum esse putavi summatim attingere etiam quae docti viri superioribus temporibus de ephetarum origine scripsissent, electis imprimis Sigonio Meursioque, ut primam doctrinam recentiorum temporum, qualis esset, in illis viris ostenderem, et Schoemanno, quem ad nostram aetatem fere omnes secutos esse viderem — quamquam non defuerunt, qui hanc novam sententiam, quam disputatione mea explicaturus sum, ante multos annos velut animo praeciperent. Quae magno inter illos viros temporis spatio intermisso de hac re scripta sunt, non visum est singillatim describere, cum, quae efficerentur ex iis, ea Schoemanni sententia comprehendere videretur.

Quam ob rem commentarium meum ita disposui, ut, breviter quod Sigonius et Meursius sentirent commemorato,

Schoemanni sententiam exponerem et deinde, cum recentiorum sententias scriptorum percenserem, quid mihi videretur de his rebus statuendum esse demonstrarem.

Necesse autem erat etiam de Areopago et de naucraris Atheniensium quaedam disputare, si quidem haec instituta cum ephetis vel re vera cohaererent vel multis scriptoribus cohaerere viderentur.

Capita igitur commentarii mei haec sunt:

I. Sigonii et Meursii sententiae exponuntur.

II. Schoemanni et Muelleri sententiae exponuntur.

III. Recentiorum commentarii.

IV. Num Draco ephetas instituerit.

V. Quaenam inter ephetas naucraros Areopagum intercesserit ratio generatim exponitur.

VI. Quae sit naucrarorum origo et quaenam inter eos ephetasque coniunctio intercesserit.

VII. Quae sit Areopagi origo quaeque inter Areopagum ephetasque coniunctio fuerit.

VIII. De Solonis lege oblivionis quae vocatur (Plut. Sol. cap. 19).

I.

Sigonii et Meursii sententiae exponuntur.

Post antiquitatis classicae memoriam restitutam saeculo illo, ex quo recentiora tempora, quae historici vocant, initium capiunt, Carolus Sigonius primus veterum Atheniensium publicum ius ad artem atque doctrinam revocavit. Ille vir, quid de ephetis statuendum existimaret, in eo libro exposuit, quem "De republica Atheniensium libri IV" inscriptum a. 1565 edidit.

Ephetas censet iam antiquissimis temporibus Athenis fuisse, ut qui a Demophonte rege instituti essent,

centum fuisse numero, quinquaginta ex Atheniensibus totidemque ex Argivis electos,

initio tantum in Palladio foro de inconsulta caede iudicasse.

Harpocratione utitur auctore, s. v. ἐπὶ παλλαδίῳ, et Pausania I, 28, 8 et 9 [1]).

1) Sig. De rep. Athen. I, cap. 3: »Palladii certe regnante Demophoonte fundamenta iacta omnes consentiunt. At in exponenda tantae rei origine prorsus discrepant. Narrat enim Harpocratio, Agamemnone et Argivis cum Palladio ab Ilio Athenas appulsis, Demophoontem Palladium rapuisse et plerosque eorum, qui vim propulsabant, interfecisse forumque, in quo quinquaginta Athenienses et totidem Argivi de caede inconsulta et insidiis iudicarent, constituisse. Pausanias autem Demophoontem refert in hoc foro primum causam dixisse, neminem ambigere; at cuius is criminis reus fuerit, non inter omnes convenire«. — Paulo infra: »Quod autem ad iudicium eorumque qui iudi-

Draconem deinde mutationem quandam fecisse iudicii ephetarum: post id enim tempus neque in ephetarum numero fuisse quemquam, nisi qui civis esset Atheniensis, et ad unum et quinquaginta numerum eorum redactum esse, et eos ab uno Palladio ad reliqua de caede fora esse traductos[1]). Pollucem adfert VIII, 125 [2]).

Quamquam Pollucem laudat, tamen omittit quod Pollux *ἐν τοῖς πέντε δικαστηρίοις* commemorat. Sic enim pergit Sig. III, cap. 3:

"Itaque in Harpocrationis et Suidae commentariis reperitur ephetas in quattuor, de quibus supra diximus, foris Prytaneo, Palladio, Delphinio et Phreattio de sanguine iudicasse eaque ephetarum fora vocata esse".

"Solonem autem (l. l. paulo infra), quamquam areopagitas ephetis, ut inquit Pollux, ad eorum deprimendam auctoritatem opposuit, tamen haec omnia comprobasse".

Iudiciis praefuisse censet aut reges aut eorum "amicos, qui Graece *φιλοβασιλεῖς* dicebantur" (pro *φυλοβασιλεῖς*), l. l. I, cap. 3.

Etiam Areopagum putat Sigonius a regum temporibus repetendum esse, [3])

---

ciis praeessent rationem et veterem eorum iudiciorum consuetudinem pertinet, nihil sane mihi legisse videor, nisi quod scribit Harpocratio, in Areopago Areopagitas, in Palladio Ephetas iudicasse: Ephetas autem centum (sic!) Athenienses centumque (sic!) Argivos illos fuisse, qui inconsultae caedis causis cognoscendi praefecti sunt». Cfr III, cap. 3.

1) Sig. l. l. III, cap. 3: »... maiore deinde auctoritate iureque ampliore a Dracone instructi sunt [ephetae]. Sic enim instituit, ut unus et quinquaginta ex optimis eligerentur, qui, ut prodit Pollux, in foris capitalibus iudicarent. Ex quo existimari potest Athenienses solos ad iudicandum ab eo retentos, Argivos autem repudiatos, ephetasque ab uno Palladio ad reliqua de caede fora esse traductos».

2) Vide infra p. 10

3) Sig. l. l. I, cap. 3: »Areopagum Cecrops maior instituit. Eusebio enim ita scribenti potius assentior quam iis, quos scribit Plu-

iam inde a principio et senatum fuisse et iudicium, [1]) Solonem existimat potestatem Areopagi auxisse.

Animadvertendum est locorum aliquot Sigonium rationem habuisse (ut Plut. Sol. cap. 19 et Aristot. Politic. II, 9, 2) [2]) quos locos cum maximi momenti sint, in nostra disputatione saepius commemorare necesse erit.

Quodnam inter ephetas et Areopagum societatis vinculum fuisse existimandum sit, nusquam commemorat.

Ne id quidem, quod a Polluce traditur, satis sibi explicavit. Mirum enim in modum non videt, si Pollucis testimonio credamus, a regibus originem ephetarum repeti non posse.

Sed non ideo Sigonii sententiam attuli, ut singula refellerem vel probarem. Cum disputatione nostra paulo longius progressi erimus, apparebit, quid de his rebus sentiendum sit.

Pauca e Sigonii libro addamus. Censet enim non solum quinque illa dicasteria: Areopagum, Palladium, Delphinium, Prytaneum Phreattoque, sed etiam Heliaeam, Parabystum, alia a regibus repetenda esse. [3])

---

tarchus existimasse eum a Solone primum esse descriptum. Ut autem ei assentior, me et gravissimorum virorum auctoritas et antiqua vulgatae fabulae fama adducit. Quid autem gravius est Aristotele? At ille in secundo De Rep. Solonem scribit Areopagitarum consilium, cum esset antea, evertere noluisse».

1) III, cap. 2: »Inter omnes iudices auctoritate et gloria praestiterunt, qui ex consilio fuerunt Areopagi. Quem senatum non solum de rebus communibus consultasse sed etiam de causis capitalibus iudicasse satis constat. Atque hanc quidem cognitionem eum iam inde a regibus adeptum esse antea cognovimus. Quam non modo Solo non imminuit, sed etiam aliqua ex parte adauxit».

2) V. infra p. 56.

3) I, cap. 3: »Neque vero haec sola a regibus fora esse arbitror constituta. Cuius enim iustitiae aut prudentiae foret, capitalibus

Colacretas quoque et naucraros[1]) — nam de his quoque magistratibus in hac disputatione nostra locuturi sumus — Sigonius censet regios magistratus fuisse.

Meursius autem — qui non, ut Sigonius, antiquitates iuris publici Atheniensium ut ad rationem redigeret, sibi proposuit, sed testimonia veterum scriptorum ad singulas antiquitatum partes illustrandas quam diligentissime collegit, ea quae ad ephetas pertinerent in eo volumine explicavit, quod inscribitur "Atticarum lectionum libri VI" (Lugd. Batav. 1617).

Ephetas dicit centumvirale quoddam iudicium Atheniensium fuisse, a rege Demophonte institutum, eique iudicio nomen fuisse Ἐπὶ παλλαδίῳ,

ex Atheniensibus et Argivis quinquagenos iudices electos esse.[2])

causis tam diligenter consuluisse, reliquis vero, quae prope infinitae sunt, et publicis et privatis judicium nullum comparare? Itaque et Heliaeam et Trigonum et Parabystum et Metychium, quae nomina iudicialibus foris fuerunt, a regibus fuisse descripta omnia puto». — Grammaticos laudat. »Quamquam ex eorum [grammaticorum] verbis non apparet, regia ne in rep. an tantum in populari fuerint celebrata; a Solone certe, qui illam remp. legibus postea temperavit, non videntur inducta».

1) I, cap. 4: »... Nam de Quaestoribus Pollux et Vesparum interpres testes satis idonei sunt, qui antiquos publicarum sacrarumque pecuniarum custodes Colacretas dictos prodiderunt» ... »Reliqui vero fere Naucrari exstiterunt in singulis tribubus duodeni, in singulis curiis quaterni, qui praeter cetera munera tributa populis Atticis imposita eorumque impensas suffragiis subiecisse feruntur. Nam unamquamque Naucrariam equites duos et navem unam praebuisse auctor est Pollux: itemque Phylarchi quattuor, qui, teste Herodoto, singulis tribubus singuli praefuerunt».

2) Meursius, Attic. lect. V, cap. 4: »Notum Athenis centumvirale iudicium, Ἐπὶ παλλαδίῳ dictum. Eius origo talis commemoratur ab Harpocratione». Harpocr. landat s. v. Ἐπὶ παλλαδίῳ. (Etiam Eustathium adfert et Apostotium). Cfr supra pag. 3, n. 1.

Draconem existimat Argivos reiecisse, ut Athenienses solum quinquaginta unus ephetae essent.[1])

Solonem censet Areopagum ephetis "adiunxisse" et "ante eos posuisse"[2])

De Areopago autem quid sentiat in eo libro demonstrat, qui "Areopagus sive de senatu Areopagitico liber singularis" (L. B. 1624) inscriptus est.

Concedit diversas apud veteres fuisse opiniones de tempore quo Areopagus institutus esset. Cum alios tum Ciceronem (De officiis I, 22)[3]) et Plutarchum (Sol. cap. 19)[4]) auctores adfert Areopagi a Solone constituti. Sibi ipsi autem[5]) persuasum esse dicit Areopagum multo ante Solonem fuisse eumque et senatorio et iudiciali munere functum esse. Opinionis suae argumenta adfert et Solonis legem oblivionis, quam apud Plutarchum (Sol. cap. 19) invenimus, et Aristo-

---

1) L. l. paulo infra: »Postea reiecto Argivorum numero ex Atheniensibus constituti quinquaginta unus«. Pollucem laudat VIII, 125 (v. infra pag. 10) et Dem. in Macartatum (v. infra pag. 19).

2) L. l. paulo infra: »Mox Solon adiunxit his Areopagitas«. Polluc. laudat loco citato et Plutarchum, Solonis vita.

3) Vide infra pag. 53

4) Vide infra pag. 54.

5) Areop. cap. 3: »Sed horum [Ciceronis, aliorum] opinio eo facile refutatur, quod in lege quadam sua ipse Solon Areopagi mentionem clare faciat«. Plutarchi, Sol. 19, verba refert. — — »Aristoteles clare dicit, cum antea exsisteret, non sublatum [Areopagum] a Solone. Ita enim verba habent, Politic. lib. II, cap. X«. Verba refert (v. infra pag. 56) — »Quid ergo est a Solone factum? Nempe certum est multo ante eius tempora Areopagum et senatum exstitisse; etsi origo plane incerta: et in eum legebantur promiscue omnes, quotquot ceteros nobilitate, auctoritate, opibusve, antecellerent: sed is statuit, ut deinceps illi tantum legerentur, qui archontum munere functi essent«. — — »Et ante Ephetas eos posuit, qui ad id tempus numero quinquaginta unus caedis alicuius reos apud quinque tribunalia iudicabant« Pollucis verba (VIII, 125) refert. »Certe Solone multo antiquiorem fuisse vel inde constat, quod Pausanias . . . . ait« (Messen. cap. 5).

telis Politic. II, 9, 2, et fabulas illas, ubi de heroibus aliisque, qui in Areopago damnati sunt, narratur.

De naucraris hoc tantum apud Meursium inveni (in libro, qui inscribitur "Solon", Sorae Danorum 1632, cap. 15):

„Sunt et qui Nauclaros eum, qui iidem cum Demarchis, instituisse arbitrantur. Scholiastes Aristophanis ad Nebulas: 'Demarchi, qui prius Nauclari, sive ii a Solone constituti, sive ante'. Et mox ex Demetrio Phalereo: 'Et Demarchos Solon constituit.'„

Videmus iam Sigonium et Meursium testimonia antiquitatis satis multa, quae ad ephetas pertinent, collegisse; eadem gravissima esse infra videbimus. Veniemus postea ad singula illa perpendenda. Hoc loco id solum commemoratum volumus:

neque Sigonius neque Meursius animadverterunt Pollucis verba veteribus fabulis illis, quae de foro ἐπὶ παλλαδίῳ narrant, obstare;

si Pollucem (VIII, 125) refellere possimus, e fabulis illis colligi posse videtur, ephetarum institutionem priscam Atheniensibus visam fuisse;[1])

perspicuum autem esse vix est cur admoneamus iudices Atheniensium ex Argivis eligi non potuisse.[2])

---

1) Cfr Wecklein., Der Areopag, die Epheten und die Naukraren, München 1873, pag. 14. — Langius, Die Epheten und der Areopag vor Solon, 1874, pag. 14. — Lipsius, Der Attische Process, 1881, p. 9.

2) De origine illarum fabularum Stoientinus, De I. Pollucis in publicis Atheniensium antiquitatibus enarrandis auctoritate, Vratisl. 1875, pag. 63—66, uberius disseruit. Cuius e disputatione apparet omnia, quae lexicographi de dicasterio quod ἐπὶ παλλαδίῳ vocatur, proferant e Demosthene (adv. Aristocr.), Aristotele (Politic.), Clitodemo, Phanodemo, fortasse etiam ex alio quodam scriptore fluxisse. Ex iis enim demonstrat Stoientinus Didymum commentarium suum composuisse, ex quo postea Pollucem, Harpocrationem, Pausaniam perieg.,

De iis, qui post Sigonium et Meursium hanc de ephetis quaestionem usque ad Schoemannum attigerunt, ut Petitus, Heraldus, Salmasius, Matthiae, Heffter, Platner, Meier, Boeckhius, K. O. Mueller, Hermannus, Forchhammer, alii, Philippi summatim disputavit, ad quem delego[1]).

Pausaniam lexicogr., ceteros, alium aliud sumpsisse. E Pausania autem lexicographo Photium hausisse constat, e Photio Suidam. — Cfr Philippi, Der Areopag und die Epheten, Berlin 1874, pag. 13—15.

1) Philippi, l. l. pag. VI—X.

II.

Schoemanni et Muelleri sententiae exponuntur.

Ad eam partem disputationis nostrae nunc venimus, quae in sententiis eorum explicandis versatur, qui nostra aetate aliquid de ephetis protulerunt. Non alienum videtur — ut iam antea commemoravimus – ab illo viro proficisci, qui merito maximam omnium auctoritatem habuit in veteribus Graecorum institutis illustrandis.

Schoemannus imprimis commentario illo, quem anno 1833 "De Areopago et Ephetis"[1]) conscripsit, et in eo libro, qui "Antiquitates iuris publici Graecorum" inscriptus est (Gryphisw. 1838), quid de ephetis sentiret, exposuit. — Ea, quae postea commentariis aliorum scriptorum inductus ad haec adiecit, suo quidque loco tractabimus.

Primum et praecipuum fontem nostrae de ephetis scientiae a Polluce (VIII, 125) repetendum esse monet:

Ἐφέται τὸν μὲν ἀριθμὸν εἷς καὶ πεντήκοντα, Δράκων δ᾽αὐτοὺς κατέστησεν ἀριστίνδην αἱρεθέντας· ἐδίκαζον δὲ τοῖς ἐφ᾽ αἵματι διωκομένοις ἐν τοῖς πέντε δικαστηρίοις. Σόλων δ᾽αὐτοῖς προσκατέστησε τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλήν. κατὰ μικρὸν δὲ κατεγελάσθη τὸ τῶν ἐφετῶν δικαστήριον. δοκοῦσι δ᾽ὠνομάσθαι, ὅτι πρότερον τοῦ βασιλέως τοὺς ἐπ᾽ ἀκουσίῳ φόνῳ κρινομένους ἐξετάζοντος ὁ Δράκων

1) Opuscula Academica, Vol. I, Berol. 1856, pag. 190—199.

τοῖς ἐφέταις παρέδωκε τὴν κρίσιν, ἐφέσιμον ἀπὸ τοῦ βασιλέως πεποιηκώς.

Ex hoc loco Pollucis — quod ad originem ephetarum pertinet — apparere censet Schoemannus

ephetas a Dracone institutos esse,

numero eos quinquaginta et unum fuisse,

ephetas ex eupatridarum numero creatos esse,

eos in quinque illis de caedibus dicasteriis (in Areopago, apud Palladium, apud Delphinium, apud Prytaneum, in Phreatto) iudicavisse.

E veteribus documentis etiam praeclaram illam legem Solonis adfert Schoemannus, quam nobis Plutarchus (vita Solonis, cap. 19) servavit:

Ὁ δὲ τρισκαιδέκατος ἄξων τοῦ Σόλωνος τὸν ὄγδοον ἔχει τῶν νόμων οὕτως αὐτοῖς ὀνόμασι γεγραμμένον· „Ἀτίμων ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν, πρὶν ἢ Σόλωνα ἄρξαι, ἐπιτίμους εἶναι πλὴν ὅσοι ἐξ Ἀρείου πάγου ἢ ὅσοι ἐκ τῶν ἐφετῶν ἢ ἐκ πρυτανείου καταδικασθέντες ὑπὸ τῶν βασιλέων ἐπὶ φόνῳ ἢ σφαγαῖσιν ἢ ἐπὶ τυραννίδι ἔφευγον ὅτε ὁ θεσμὸς ἐφάνη ὅδε.„

Ex ea lege concludere censet licere ephetas disiunctos fuisse ab Areopago, quippe cum et Areopagus et ephetae et Prytaneum inter se distinguantur.

Haec fere esse existimat, quae certis documentis usi scire possimus. Qua de causa exstiterit hoc institutum et quomodo cum Areopago cohaereat, id nisi coniciendo colligi posse negat:

primo consilium quoddam regis vel senatum usque ab antiquissimis temporibus fuisse,

id consilium et senatorio et iudiciali munere functum esse,

iudiciaque in quinque illis dicasteriis exercuisse, ex quibus unum, quod maxima auctoritate esset, Areopagum, nomen consilio dedisse,

deinde, cum officia eius senatus plura coepissent esse quam quae unum consilium obire posset, a Dracone ephetas institutos esse ad iudicia occupanda,

itaque e Draconis temporibus et consilium fuisse areopagitarum, quod senatorium munus solum teneret, et ephetas, qui in Areopago et in ceteris quattuor dicasteriis iudicarent,[1])

tum Solonem novum consilium areopagitarum instituisse, quod et senatus esset et in Areopago de caedibus consulto factis aliisque quibusdam causis iudicaret,

ephetis autem cetera quattuor minoris momenti iudicia reliquisse.

Hanc de ephetis doctrinam vidimus imprimis in Pollucis testimonio niti et in loco illo de Plutarchi vita Solonis sumpto. Nisi certa haec documenta sint, totam hanc sententiam infirmari intelligimus et labi. Quam maxime igitur refert haec duo testimonia in quaestionem vocare, quanti sint aestimanda.

Eo magis eiusmodi disquisitione opus esse apparet, quo minus veri similes nobis mutationes illae rei publicae et vacillationes videntur, quae inter senatum areopagitarum et ephetas, si Schoemanno credamus, crebrae factae sint. Fieri potuisse, ut iudiciale munus, consilio Areopagi ademptum,

---

1) In commentario anni 1875 — N. J. CXI, p. 157—158 — sententiam illam Schoemannus ita mutavit, ut censeret Areopagum etiam post Draconem de »popularibus actionibus« iudicavisse — quas cuivis civi liceret in eum, qui caedem commisisset, ad iudices deferre. Illae autem pop. de caedibus actiones nullo certo antiquitatis testimonio, ne ex temporibus quidem magnorum oratorum cognitae sunt.

ephetis a Dracone attribueretur, tum ephetis ademptum tertio consilio, novo Areopago, a Solone traderetur, — hoc fieri potuisse negari id quidem non potest; consentaneum hoc esse cum verisimili rerum progressu et naturae conveniens negamus; videntur mutationes illae magis ex arbitrio eorum excidisse, qui leges illas tulisse dicuntur.

Sed dilucida sunt verba et Pollucis et Plutarchi. In his totum certamen vertitur.

Iam illis temporibus, quibus Schoemannus ea, quae supra commemoravimus, conscribebat, Mueller Pollucis verba in dubium vocaverat. Cuius sententiam ut repudiaret, Schoemannus commentarium illum De Areopago et Ephetis confecit.

Hoc loco e re fortasse est sententiam Muelleri exponere. Quam etsi certis testimoniis confirmare non poterat summus ille vir, tamen mirum in modum eum quasi divinasse videbimus id, quod maiore alii iure postea contenderunt.

Negavit Mueller[1]) Polluci fidem esse habendam. Fieri enim potuisse censet, ut Pollux haec nobis traderet, non quia auctorem aliquem haberet, qui id diceret, sed quia haec concludendo sibi persuasisset. In legibus enim Solonis esse quasdam de caedibus leges, quas manifestum sit Solonem prope integras e Draconis legibus in suas traduxisse. Apparere autem in his tantummodo legibus, a Solone receptis, ephetarum mentionem factam esse, quippe qui de nulla re nisi de caedibus iudicarent.[2]) Quo factum esse, ut ephetae, cum in Draconeis illis legibus saepius commemorarentur, a Dracone fuisse instituti crederentur.

---

1) K. O. Mueller: Geschichten Hellenischer Stämme und Städte, II, Die Dorien I, p. 333 sq., II, pag. 137 sq. (Ed. pr., Bresl. 1824). — Idem: Aeschylos Eumeniden, Goett. 1833, pag. 153 sq.

2) Plut., Sol. 17: *τοὺς Δράκοντος νόμους ἀνεῖλε πλὴν τῶν φονικῶν ἅπαντας.* — Aelian., V. h. 8, 10: *μόνους δὲ ἐφύλαξαν τοὺς φονικοὺς αὐτοῦ.*

Pollucis testimonio ita elevato nihil ultra prohibere censet M., quominus ante Draconem ephetas iudicasse existimemus, neque iudicasse solum sed etiam pro senatu consultasse. Constare enim reges apud veteres Graecos a consilio nobilium fuisse adiutos et in consultando de re publica et in iudicando de caedibus. Apud Lacedaemonios et Corinthios rem se ita habuisse certum esse admonet; et Athenis sine dubio eupatridarum senatum cum regibus his muneribus functum esse. Pollucem docere — quamquam enim de tempore et auctore ephetarum instituendorum erraverit, nullam esse causam, cur de ceteris ei fidem abrogemus — ephetas in quinque dicasteriis iudicasse; inter haec Areopagum fuisse; sequi, ut ephetae et areopagitae iidem fuerint.

Itaque ephetas (sive, id quod idem valeat, areopagitas) antiquitus et senatum fuisse et iudicia exercuisse.[1])

Solonem novum Areopagum instituisse, cui et senatorium munus et iudicia, quae ad caedes voluntarias pertinerent, mandaret; ephetis autem quattuor cetera dicasteria reliquisse. Eaque de causa iudicia ab eo ita dispertita esse, quod in quattuor illis dicasteriis de eis caedibus iudicia haberentur, vel iustis vel non voluntariis, quae expiari possent,

1) Quod Mueller censet ephetas eosdem fuisse atque areopagitas haec ante eum iam Luzacus statuerat, qui — Exercitationem academ. specim. tert. L. B. 1793, p. 181 — haec habet: »... Quin si vita nobis suppetat et vires, aliquando sumus demonstraturi, Areopagum a ceteris quatuor tribunalibus, quae de caede pronuntiabant, non nisi loco olim fuisse diversum et ante Solonis aetatem sub communi Ephetarum nomine fuisse comprehensum; quo in modo haeserunt veteres, Plutarchus praesertim«. Etiam Platner — Der Process und die Klagen, 1824, I, p. 21 — conicit unum olim areopagitarum et ephetarum collegium fuisse, sed in Areopago etiam archontes una cum ephetis iudicavisse, quia aliter intelligi non possit, quomodo Solon huic ipsi iudicio (Areopago) tantam potestatem addicere potuerit. — Philippi l. l. 1874, pag. 242. — Cfr infra pag. 69.

ritus autem expiationum eupatridis solis cogniti essent. Ephetas enim numquam non ex eupatridis sumptos esse, in Areopago post Solonem multos plebeios homines fuisse. Caedium, quae voluntariae essent, poenam fuisse aut mortem aut exsilium perpetuum, neque in eiusmodi causis sacri iuris scientia opus fuisse.

Quod antea in Schoemanni sententiam animadvertimus, id videmus Muellerum evitasse. Mutationes illas rei publicae non habet, neque inepte Solonis institutionem explicavit. Quod autem Polluci fidem abrogare vult, neminem credo existimare posse eum satis firma argumenta attulisse. Optimo iure Schoemannus negavit se concessurum esse Pollucem hoc loco erravisse, nisi graviora argumenta proferrentur. Neque Plutarchi locum refellere Mueller conatus est. Constat in lege supra commemorata trium collegiorum mentionem fieri, quae inter se distincta sunt: Areopagi, Ephetarum, Prytanei.

Si quae iam concludi possunt, haec fere sunt:

si Polluci fides est attribuenda,

si legem Solonis, apud Plutarchum commemoratam, aliter interpretari non possumus,

statuendum est Schoemannum recte iudicasse — quamquam est quod nobis displiceat, si mutationes rei publicae consideramus, quas huc illuc, si Schoemannum sequimur, legislatores fecisse credendum est.

Argumenta autem illa, quae Schoemannus graviora desiderabat, mihi iam videntur adesse.

III.

Recentiorum commentarii.

Schoemanni et Muelleri sententiis expositis ad recentiores scriptores transeo. Quorum libros et commentarios cum aliis paucis in unum locum contuli, quo facilius singulos infra laudare possem atque ut ostenderem quanta proximis his annis opera data esset huic de ephetis quaestioni expediendae.

P. Forchhammer, De ephetis non ludibrio habitis. Kiel 1844.

F. C. Petersen, Om epheterne og deres dikasterier i Athen, Kiøbenhavn 1847.

G. F. Schömann, Die Verfassungsgeschichte Athens, Leipzig 1854.

H. Säve, De Areopago et iudiciis heliasticis apud Athenienses quaestiones, Upsaliae 1862.

S. F. Hammarstrand, Bidrag till den Atheniensiska statsförfattningens historia, Ups. univ. årsskrift 1863. — A Schoemanno hic liber germanice redditus est: Neue Jahrb. Supplem. VI, Leipzig 1873.

U. Köhler, Attische Inschriften, Hermes II, Berlin 1867.

R. Schöll, Die Speisung im Prytaneion zu Athen, Hermes VI, Berlin 1872.

Adolph Philippi, Der Athenische Volksbeschluss von 409/8, Neue Jahrb. CV, Leipzig 1872.

A. Philippi, Das Amnestigesetz des Solon und die Prytanen der Naukraren zur Zeit des Kylonischen Aufstandes,

Rhein. Museum für Phil. XXIX, Frankf. a. M. 1874. (Scripsit anno 1872).

N. Wecklein, Der Areopag, die Epheten und die Naukraren, Sitzungsber. der K. Bayr. Akad. der Wiss. III, München 1873.

Ludovicus Langius, De ephetarum Atheniensium nomine commentatio, Lips. 1873.

Ioh. Droysen, De Demophanti, Patroclidis, Tisameni populiscitis, quae inserta sunt Andocidis orationi *περὶ μυστηρίων*, Berol. 1873.

Curt Wachsmuth, Die Stadt Athen im Alterthum, I, Leipzig 1874.

G. Gilbert, Die altattische Komenverfassung, N. Jahrb. Supplement VII. Leipzig 1874.

Ludw. Lange, Die Epheten und der Areopag vor Solon, Abhandl. der Königl. Sächs. Gesellsch. der Wiss., Bd VII, Leipzig 1874.

A. Philippi, Der Areopag und die Epheten, Berlin 1874.

G. F. Schömann, Die Epheten und der Areopag, N. Jahrb. CXI, Leipzig 1875.

G. Gilbert, Die attische Naukrarienverfassung, N. Jahrb. CXI, Leipzig 1875.

G. F. Schömann, Das Kylonische Attentat, die Naukraren und die Alkmaioniden, N. Jahrb. CXI, Leipz. 1875.

Gustav Meyer, Etymologien; Studien zur Griech. und Latein. Gramm., herausgeg. von G. Curtius, VII, Leipzig 1875.

F. v. Stojentin, De Iulii Pollucis in publicis Atheniensium antiquitatibus enarrandis auctoritate, Vratisl. 1875.

P. Forchhammer, Die Epheten und der Areopag, Philologus XXXIV, Göttingen 1876.

J. H. Lipsius, Burs. Jahresb. Jahrg. I 1873, 2, Berlin 1876.
— —, Burs. Jahresb. Jahrg. VI, 1878, 15, Berlin 1880.
J. H. Lipsius, Der attische Process von M. H. E. Meier und G. Fr. Schömann, neu bearbeitet, Berlin 1881.
G. Gilbert, Handbuch der Griechischen Staatsalterthümer, I, II, Leipzig 1881, 1885,
Ἀχιλλεὺς Ἀγαθόνικος, *Ὁ Ἄρειος πάγος καὶ οἱ ἐφέται, ἐν Ἀθήναις*, 1884.
A. M. Alexanderson och *O. V. Knös*, Grekisk fornkunskap, Stockholm 1881—1885.

IV.

Num Draco ephetas instituerit.

Quod supra dixi[1]) causam nunc adesse, cur testimonium Pollucis elevatum censeamus, res se hoc modo habet.

Primum occasionem praebebant Pollucis refutandi verba haec: *ἀριστίνδην αἱρεθέντας* [2])

Sed necesse erit aliquid de loco quodam antea disserere, quem apud Pseudo-Demosth. adv. Macartatum. p. 1069, § 57 scriptum habemus:

ἐὰν δὲ αἰδέσασθαι δέῃ, ἐὰν μὲν πατὴρ ᾖ ἢ ἀδελφὸς ἢ υἱεῖς, πάντας, ἢ τὸν κωλύοντα κρατεῖν· ἐὰν δὲ τούτων μηδεὶς ᾖ, κτείνῃ δ' ἄκων, γνῶσι δ'οἱ πεντήκοντα καὶ εἷς οἱ ἐφέται ἄκοντα κτεῖναι, ἐσέσθων οἱ φράτερες, ἐὰν θέλωσι, δέκα· τούτους (codic. *τούτοις*) *δ'οἱ πεντήκοντα καὶ εἷς ἀριστίνδην αἱρείσθων.*

Est haec in orationem inserta quaedam lex Draconis, ubi de caede non voluntaria agitur. Qui inconsiderate caedem commiserit, eius scelus expiari posse. Condicionem autem quandam esse: aut esse superstitem patrem occisi vel fratrem vel filios, tum necesse esse, ut omnes illi ad scelus expiandum consentiant, sin aliter, expiationem fieri non posse; aut necessarios illos occiso homini deesse, tum decem viros hoc munere necessariorum fungi debere, ut piaculum aut permittant aut prohibeant.

---

1) Pag. 15. 2) Totum locum attuli pag. 10.

J. H. Lipsius, Burs. Jahresb. Jahrg. I 1873, 2, Berlin 1876.
— —, Burs. Jahresb. Jahrg. VI, 1878, 15, Berlin 1880.
J. H. Lipsius, Der attische Process von M. H. E. Meier und G. Fr. Schömann, neu bearbeitet, Berlin 1881.
G. Gilbert, Handbuch der Griechischen Staatsalterthümer, I, II, Leipzig 1881, 1885,
Ἀχιλλεὺς Ἀγαθόνικος, *Ὁ Ἄρειος πάγος καὶ οἱ ἐφέται, ἐν Ἀθήναις*, 1884.
A. M. Alexanderson och *O. V. Knös*, Grekisk fornkunskap, Stockholm 1881—1885.

IV.

Num Draco ephetas instituerit.

Quod supra dixi[1]) causam nunc adesse, cur testimonium Pollucis elevatum censeamus, res se hoc modo habet.

Primum occasionem praebebant Pollucis refutandi verba haec: *ἀριστίνδην αἱρεθέντας*[2])

Sed necesse erit aliquid de loco quodam antea disserere, quem apud Pseudo-Demosth. adv. Macartatum. p. 1069, § 57 scriptum habemus:

ἐὰν δὲ αἰδέσασθαι δέῃ, ἐὰν μὲν πατὴρ ᾖ ἢ ἀδελφὸς ἢ υἱεῖς, πάντας, ἢ τὸν κωλύοντα κρατεῖν· ἐὰν δὲ τούτων μηδεὶς ᾖ, κτείνῃ δ' ἄκων, γνῶσι δ' οἱ πεντήκοντα καὶ εἷς οἱ ἐφέται ἄκοντα κτεῖναι, ἐσέσθων οἱ φράτερες, ἐὰν θέλωσι, δέκα· τούτους (codic. *τούτοις*) *δ' οἱ πεντήκοντα καὶ εἷς ἀριστίνδην αἱρείσθων.*

Est haec in orationem inserta quaedam lex Draconis, ubi de caede non voluntaria agitur. Qui inconsiderate caedem commiserit, eius scelus expiari posse. Condicionem autem quandam esse: aut esse superstitem patrem occisi vel fratrem vel filios, tum necesse esse, ut omnes illi ad scelus expiandum consentiant, sin aliter, expiationem fieri non posse; aut necessarios illos occiso homini deesse, tum decem viros hoc munere necessariorum fungi debere, ut piaculum aut permittant aut prohibeant.

1) Pag. 15. 2) Totum locum attuli pag. 10.

Tum haec verba in omnibus codicibus sequuntur: *τούτοις δ' οἱ πεντήκοντα καὶ εἷς ἀριστίνδην αἱρείσθων·* Difficile est *τούτοις* intelligere. Quamquam Petitus[1]) hoc modo convertit: "h i s quinquaginta et unus ex optimatibus eliguntor", verbum h i s tamen ambiguum est, neque probabilem sententiam his verbis inesse dici potest. Petitus ipse coniecit *οὗτοι*[2]), quod sententiam aliquam id quidem tuetur, in eo tamen offendit, quod intellegi non potest, cur hoc loco commemoretur ephetas e nobilium ordine eligi oportere. — Exspectandum erat, ut hoc loco quiddam de phratoribus illis decem lege praeciperetur.

Haec causa fuit, cur Reiskius[3]) *τούτους* coniceret, cui postea fere omnes adsensi sunt. Ita lege sancitur, ut decem illi phratores ex eupatridarum numero ab ephetis eligantur.

De hac lege, in orationem adv. Mac. inserta, controversia fuit, utrum vera esset lex an falsa, a posteris scriptoribus conficta. Valebat enim in universum Westermanni[4]) opinio "omnes fere leges, litteras, acta publica, quae apud oratores Atticos inveniantur, supposita esse"[5]). Ob eam rem, quamquam lex illa, si omnino iam tum certa fuisset, copiam praebuisset in Pollucis verba impetus faciendi, nihil, ut res tum erant, certi argumenti in se habebat, quo Pollux refelli posset.

Tum autem subsidio advenit lapis quidam marmoreus, litteris inscriptus. Inventus iam dudum erat ille lapis a. 1843 ad ecclesiam Metropolitanam Athenarum. Pittakis eius

---

1) Leges Atticae, ed. Wesseling, Lugd. Bat. 1742, p. 624 (Ed. pr. Paris 1635).

2) Idem Meier, De gentilitate Attica, 1835.

3) Oratorum Graecorum, quorum princeps est Demosthenes, quae supers. monumenta ingenii, ed. J. Reisk., XII Voll. Lips. 1770—1775.

4) A. Westermann, Untersuchungen über die in die Attischen Redner eingelegten Urkunden, Leipzig 1850.

5) H. Säve, 1862, p. 61.

inscriptionem edidit[1]) itemque Rangabeus[2]), ita autem, ut neuter eorum ad eam interpretandam satis proficeret. Deinde U. Koehler, lapide sordibus purgato, ad inscriptionem denuo explicandam adgressus est[3]). Cuius viri laborem praemium exoptatissimum secutum est.

Est lapis ille 95 centim. in longit., in latit. 72 centim., integer mirum in modum conservatus, quamquam sine dubio medio aevo, ut materiem suppeditaret cuiusdam aedificii, e suo loco detractus est. Litterae non nihil detrimenti hoc fato ceperunt. Itaque Koehler opus fecit et difficillimum et quod maximam sagacitatem desideraret, cum inscriptionem illam explicaret.

Forte evenit, ut locus noster orationis adv. Mac.[4]) et inscriptio haec inter se adiuvarent. Legem enim Draconis ipsam — anno 409/8 a. Chr. n. marmore insculptam — propitia fata et Koehleri opera nobis dederunt. Quamquam permultae litterae inscriptionis et vi et die attritae sunt neque hodie amplius legi possunt, eae quae exstant nihil dubitationis permittunt, quin orationis illius lex eadem sit atque inscriptionis, id quod post Koehleri disputationem ne unus quidem, quod equidem sciam, in dubium vocavit.

Versus inscriptionis 13:um et 14:um eam orationis illius partem, quae est ab initio usque ad *κρατεῖν*, continuisse apparet[5]). Versus 15 et 16 interpretari Koehler

---

1) *Ἐφημερὶς ἀρχαιολογική*, 1842, n. 886.

2) Antiquités helléniques, 1842—55, I, n. 259.

3) Anno 1867, vide supra pag. 16.

4) Vide supra p. 19.

5) Admonendum est singulos versus 50 litteras habuisse et totam inscriptionem *στοιχηδὸν* fuisse insculptam.

Id semel admonitum velim et eas litteras me plene exscripsisse, quae, etiamsi plus minusve attritae sint, tamen in dubium vocari non possint.

frustra conatus est[1]). Tum versus 17, 18, 19 haec perhibent:

v. 17: ***ΝΕΙΔΕΑΚΟ . Γ . ΟΣ . . ΕΗ . . . . . Τ*** (lac. 27 litt.)

v. 18; ***ΚΤΕΝΑΙΕΣΕΣΘ . ΝΔΕΗ***[2]) (lac. 31 litt.) . . ***Ε*** . .

v. 19: ***ΙΠΕΝΤΕΚΟ . Τ . . . . ΗΕΣΑΡ*** (lac. 26 litt.) . ***ΤΕ*** .

Si in lapide verba orationis *ἐὰν δὲ τούτων* cet. (pag. 78) insculpta cogitamus, inserto post *ἐσέσθων* verbo *δὲ*, omnes litteras, quae exstant, suo loco stare videbimus:

v. 16: . . . . , ... (*ἐὰν δὲ τούτων μηδεὶς ῇ κτεί*)

v. 17: *νῃ δὲ ἄκω(ν), γ(ν)ῶσ(ι) (δ)ὲ (οἱ [ΗΟΙ] πεν)τ(ήκοντα καὶ εἷς [ΗΕΣ] οἱ ἐφέται ἄκοντα)*

v. 18: *κτεῖναι, ἐσέσθ(ω)ν δὲ (οἱ φράτορες ἐὰν ἐθέλωσι δέκα τούτους [ΤΟΥΤΟΣ] δ)ὲ (ὁ)*

v. 19: *ι πεντήκο(ν)τ(α) (και) εἷς ἀρ(ι)σ(τίνδην) (αἱρείσθων . . καὶ οἱ πρό)τε(ρ)*[3]).

Videmus cum alia tum in versu 18:mo omnes 31 locos litterarum inter servatas litteras *ἐσέσθων δὲ* et illam (***Ε***), quae in versu eodem ultimis duabus (***ΗΟ***) proxima est, ita quam accuratissime impleri, neque, si inscriptionem ita restituere velimus, locum esse verbo *τούτοις*, quod una littera voca-

---

Dem.: . . . . *ἐὰν δὲ αἰδέσασθαι δέῃ, ἐὰν μὲν πατὴρ ᾖ ἢ ἀδελφὸς ἢ υἱεῖς, πάντας, ἢ τὸν κωλύοντα κρατεῖν*

Inscr.: v. 13: . . . . ***Ε***

v. 14: ***ΙΕ ΑΔΕLΦΟ . ΕΗΥ⁻ΣΗΑΠΑ . . . . ΕΤΟ . . Ο*** (lacuna 21 litt.) . . . . ***Υ***

(v. 13: . . . . *ᾖ*

v. 14: *ἢ ἀδελφό(ς) ἢ ὑῆς ἅπα(ντας) ἢ τό(ν κ)ω(λύοντα κρατεῖν).*

1) v. 15: ***ΤΟΙΟΣ . . Ε . ΡΑ . . Φ . . ΟΤ . ΤΟΣΚΤΑ*** (lac. 24 litt.) . . . . ***Σ***

v. 16: ***ΘΑΙΕΘΕLΟΣ . ΤΟΝΗΟ . . ΟΝ*** . . . .

2) Koehlerum sequor, hoc loco ***Η*** scriptum fuisse censentem. Prior autem pars tantummodo eius litterae servata est, quo factum est, ut Kirchhoffius ***Κ*** explere posset (vide paulo infra).

3) V. infra pag. 24, n. 1.

bulum superat τούτους (ΤΟΥΤΟΣ). Quod pro firmissimo argumento habitum est illius coniecturae Reiskii, cum τούτους scribere vellet pro τούτοις.

Haec et Koehler ipse[1]) animadvertit et post eum Philippi, quasi causa diiudicata, sine ulla dubitatione adfirmavit.

Mihi autem — quamquam persuasissimum est τούτους recte et apud Dem. adv. Mac. et in lapide legi — tamen hoc verbum τούτους post inscriptionem explicatam certius non videtur esse quam antea fuit. Primum enim verbi οὗτοι (ΗΟΥΤΟΙ) idem numerus est litterarum atque τούτους (ΤΟΥΤΟΣ), quam ob rem, quamquam haec coniectura, ut supra commemoravimus, perversa videtur, per lapidem ne illa quidem reicitur[2]). Deinde, cum tam multae litterae evanuerint, difficile est pro certo adfirmare, quo modo singulos lacunae locos explere debeamus. Animadvertendum est verba ἐσέσθων δὲ in lapide servata esse, cum in lege orationis ἐσέσθων solum scriptum habeamus — quo efficitur non omnino legem orationis inscriptioni respondere. Neque possumus negare δὲ illud non nihil offendere. Ob eam rem Kirchhoffius[3]) hanc lectionem proposuit, qua coniunctione δὲ liberaremur:

ἐσέσθ(ω)ν δέκ(α οἱ φράτορες ἐὰν ἐθέλωσιν. τούτους δ)ὲ (ο)ἱ πεντήκο(ν)τ(α) cet.

Ita autem numerus litterarum 30 tantummodo efficitur (inter δέκ.. et .ὲ), et locus tum adest verbo τούτοις. Quo fit, ut ex inscriptione certum adminiculum verbi τούτους expeti nullum possit[4]).

1) L. l. pag. 33.
2) Vide pag. 20.
3) C. I. A. n. 61.
4) Wecklein., l. l. pag. 5: ...."es ist unrichtig, wenn Philippi ... sagt, dass die Aenderung durch die Inschrift bestätigt werde".

Sed hac inscriptione explicata nemo iam potest dubitare, quin lex illa orationis fuerit vera lex et genuina[1]). Haec autem cognovisse ad eam argumentationem, quae sequitur, aestimandam utile erit.

τούτοις enim in omnibus codicibus scriptum esse iam supra animadvertimus[2]). Ex quo colligi potest a communi omnium codicum fonte hoc mendum esse repetendum et permagnam esse aetatem depravati verbi *τούτοις*.

Accedit quod, cum legem antiquam in lapide servatam habeamus, optimo nunc iure conicere licet, qua ratione *τούτοις* exstiterit.

E vetere ratione scribendi, quam ante Euclidem archon-

---

1) Quo de hac re minus dubitari possit, et ea verba exscribam, quae in lege orationis Dem. adv. Mac. verbis pag. 19 allatis proxima antecedunt et quae sequuntur, et eos versus inscriptionis, qui illis respondent. — Quod autem verba *προειπεῖν* cet., quae apud Dem. praecedunt, in lapide sequuntur, nihil ad rem. Nescio quo modo facile potuit orator ordinem mutare.

Dem. adv. Mac.: καὶ οἱ πρότερ|ον κτείναντες ἐν τῷδε τῷ θεσμῷ ἐνεχέσθων. προειπεῖν τῷ κ|τείναντι ἐν ἀγορᾷ ἐντὸς ἀνεψιότητος καὶ ἀνεψιοῦ, συνδιώκειν| δὲ καὶ ἀνεψιῶν παῖδας καὶ γαμβροὺς καὶ ἀνεψιοὺς καὶ πενθεροὺς [καὶ ἀνεψιαδοῦς] κ|αὶ φράτερας.

Inscriptionis v. 19: (De initio versus vide pag. 22) . . *TE*.
v. 20: *ONKTE* . *A* . . . . *O* (lac. 34 litt.) . . . *Υ*
v. 21: *TE* . . . . *ΓOP* . . . . . *O* (lac. 31 litt.) *N*
v. 22: *ΔE* . . . . . *ΦΣ* (lac. 40 litt.) . . . . *Σ*.
v. 23: *AIΦ* . . *T* . *P* (lac. 41 litt.) . . . . *I*

Koehler hoc modo inscriptionem restituit:

v. 19: . . . . (*καὶ οἱ πρό*)*τε*(*ρ*-)
v. 20: *ον κτεί*(*ν*)*α*(*ντες ἐν τ*)*ῷ*(*δε τῷ θεσμῷ ἐνεχέσθων. προειπεῖν τῷ κ*)*τ*-
v. 21: *τεί*(*ναντι ἐν ἀ*)*γορ*(*ᾷ ἐντ*)*ὸ*(*ς ἀνεψιότητος καὶ ἀνεψιοῦ, συνδιώκει*)*ν*
v. 22: *δὲ* (*καὶ ἀνε*)*ψ*(*ιοὺς καὶ ἀνεψιῶν παῖδας καὶ γαμβροὺς καὶ πενθεροὺ*)*ς* (*κ*-)
v. 23: *αὶ φ*(*ρά*)*τ*(*ο*)*ρ*(*ας*).

2) V. p. 20.

tem et aliquanto tempore post usurpatam esse constat, verbum *τούτους* scriptum est *TOTTOΣ*, quod in verbum *TOTTOIΣ* vertere facile potuit, praesertim cum, posterioribus temporibus, usu iam stabilito — post 350 a. Chr. n. — *OT* pro vetere *O* scribendi, facile quis credere posset, ubi *O* videret, ibi *OI* legendum esse[1]). Etenim necesse est leges illas in orationes e collectionibus legum quibusdam insertas esse quae posterioribus temporibus confectae erant — e. gr. commemoro Crateri *ψηφισμάτων συναγωγήν*.

Incertum est, quis fuerit auctor mendi illius; satis erit demonstrasse, quo modo verbum *τούτοις* pro *τούτους* potuerit ex inscriptione primum in collectionem legum quamlibet, deinde in orationem Pseudo-Demosthenis irrepere, vel in commentarium quendam oratorum, velut Didymi, vel in lexicon quoddam, velut Pamphili.

Quod si *τούτοις* in lege scriptum videbatur, quomodo hoc verbum intellegendum erat nisi "ab his" vel "pro his" vel "his" (dat.)? Tum autem necesse erat *αἱρείσθων* passive intellegeretur: eliguntor[2]). Quo fieri poterat, ut scriptor quidam traderet ephetas fuisse *ἀριστίνδην αἱρεθέντας* eiusque verba auctor Pollucis[3]) exscriberet.

His perspectis, cum iam demonstratum sit *τούτοις* legis illius saepius commemoratae efficere potuisse, ut enuntiato illo: *τούτοις δὲ οἱ πεντήκοντα καὶ εἷς ἀριστίνδην*

---

1) Koehler, l. l., pag. 33: "Dagegen spricht Alles dafür, dass im Folgenden *τούτους*, wie man bei Demosthenes statt *τούτοις* corrigirt hat, auf dem Steine wirklich gestanden habe, auch hier hat vielleicht die voreuklidische Orthographie den Fehler veranlasst."

2) Ut inter recentiores Petitus (vide pag. 20): "ex optimatibus eligi debere ephetas cavit hac lege Draco."

3) Stoientinus, l. l. p. 6: "nam ita quoque interdum res est comparata, ut Pollucea vix aliter atque coniuncta complurium opera e vetustis scriptoribus depravari potuisse videantur".

αἱρείσθων ephetae dici viderentur *ἀριστίνδην αἱρεθέντες* — ad Philippii[1]) argumentationem transeamus.

Primum igitur ille animadvertit, praeter illa Pollucis verba, nihil testari ephetas unum et quinquaginta fuisse, nisi legem illam, quae et apud Pseudo-Dem. adv. Mac. et in lapide illo exstet;

deinde Pollucem admonet eodem loco commemoravisse ephetarum numerum (LI) atque eos *ἀριστίνδην αἱρεθέντας* fuisse, idque praeter Pollucem nobis eadem duo exemplaria legis sola tradidisse — quam ob rem inter eos locos societatem quandam singularem intercedere suspicandum esse;

tum hunc conexum multo artiorem videri differentia ipsa observata, quae inter Pollucem et legem interesse videatur — eam scilicet, quod Pollux censet ephetas fuisse *ἀριστίνδην* electos, lex autem praecipit, ut ephetae decem *φράτορας* (*τούτους*) eligant — quippe cum demonstratum sit, qua via Pollucis verba a depravatae legis verbis proficisci potuerint.

Ita fontem esse inventum Philippi contendit, ex quo Pollux verba sua hauserit, quibus doceat ephetas fuisse *ἀριστίνδην αἱρεθέντας*[2]); Polluci, quod ad haec verba attineat, fidem abrogandam esse.

Vix Philippi haec demonstraverat, cum ei adsensi sunt et Weckleinius et Langius[3]), tum alii deinceps. Neque credo multos esse, qui argumentis Philippii non commoveantur ad eum sequendum. Schoemannus autem, XLII annis post suum De Ephetis et Areopago commentarium editum,

1) N. Jahrb. 1872, p. 604 sq. — Der Ar. u. die Eph. p. 139 sq.

2) Cfr Petit. l. l.: "eam [legem nostram] intellegit Pollux."

3) Weckl. 1873, Lang. 1874 (vide supra p. 17).

denuo ad suam sententiam defendendam prodiit[1]). Neque ille negat τούτους iam esse ab omni parte tutum neque τούτοις apud Demosthenem a Polluce vel auctoribus eius legi potuisse. Prorsus autem negat Pollucem tam ineptum fuisse, ut non intellegeret τούτοις nisi ineptam sententiam non concedere. Nullo igitur iure recentiores contendere verba Pollucis ἀριστίνδην αἱρεθέντας ab illo mendo profecta esse.

Credimus Schoemannum inclinatum fuisse ad Pollucis iudicium iusto pluris aestimandum. Sed alii de Polluce eiusque fide aliter iudicaverunt. Stoientinus:[2]) "qui de industria", inquit, "nihil aliud respiciens, hanc — de auctoritate Pollucis — quaestionem institueret, usque ad hunc diem nondum quisquam exstitit. quae cum ita sint, minime mirum videri potest, quod diversissimae opiniones de usu et auctoritate huius libelli — octavi Pollucis — ferebantur semper atque etiam nunc feruntur". Et Stoientinus quidem ipse, qui ad scriptoris nostri fidem in publicis antiquitatibus Atheniensium enarrandis iudicandam adgressus est ideoque octavum librum imprimis percensuit, Pollucem non magni facit. Hominem eum fuisse dicit, qui "scribae magis quam scriptoris munere" fungeretur; "plerosque in ea re erravisse, quod ex altero Pollucis loco de altero se aliquid colligere posse sibi persuasissent"; "evolvisse tantum auctorem suum Pollucem et aut descripsisse aut excerpsisse, nihil aliud fecisse"[3]). Atque ita esse mihi quidem Stoientinus adeo probavit, ut verear, ne talem auctorem nulla iniuria afficiamus, si ei credulitatem illam, quam Schoemannus ei abrogandam putat, tamen attribuendam esse existimemus.

1) N. J. 1875.

2) L. l. p. 1.

3) L. l. pag. 3, 4, 5.

Sed ne quid iniuriae in Pollucem committamns, fatendum est Polluci vitio dari fortasse non posse e verbis τούτοις cet. aliquid conclusisse. Et Philippi[1]) suspicatus est Pollucem non ipsum legisse Demosthenem, cum octavum librum conficeret, et Langius[2]) ostendit credibile esse Pollucem iis usum esse, qui ante eum de his rebus commentarios conscripsissent. Et Stoientinus compertum esse existimat Pollucem in octavo libro conficiendo uno tenore e Pamphilo vel e Vestino, qui lexicon Pamphili in breve coegit, excerpsisse[3]). Ita culpa in alium quendam scriptorem transfertur[4]).

Praeterire non possumus quod a Stoientino de hoc loco separatim dictum est[5]). Quocum dolendum est, quod de auctore huius de ephetis loci Pollucei certius quidquam proponere non potuit. Nihil de primo fonte, ex quo auctor Pollucis hoc loco verba sua hauserit, pro explorato adfirmari posse existimat. Philippio negat se posse adsentiri.

Animadvertendum autem est Stoientinum ipsum probasse Didymi commentarium, ad oratores Atticos confectum, fontem — per Pamphilum et Vestinum — fuisse Pollucis. Didymum autem constat et ex oratoribus et ex aliis scriptoribus hausisse. Sed ex quo eorum hunc de ephetis locum

1) Phil. 1874, p. 140, n. 43.

2) Lang. 1874, p. 6, n. 6.

3) Stoi., l. l., p. 90.

4) Quod autem supra commemoravimus Stoientinum de Pollucis fide iudicasse, manifestum est id etiam ad illum auctorem eius pertinere.

5) Stoi. l. l. p. 74—77; ibid. n. 91: "Quod Philippi primum in Jahrb. f. Philol. 1872, p. 604 sq. protulit et post eum alii pro comperto et explorato habueruut, partem huius loci e Demosth. XLIII, 57 corrupto fluxisse, id in hac rerum condicione, praesertim cum ea ipsa, quae ex illa corruptela orta esse contendit Philippi, per se vera sint, mihi vel maxime dubium videtur."

Pollux excerpserit, diiudicari non potest. Disputatione autem Stoientini censeo apparere Pollucis verba per multos medios scriptores a Demosthene (adv. Mac.) proficisci potuisse, quia Didymum constet commentarium in Demosthenem composuisse. Quam ob rem nihil impedit, quominus argumentatione Philippii nos confiteamur obstrictos. Stoientinus ne verbo quidem conatur explicare congruentiam illam singularem et societatem, quam inter Pollucis verba et legem illam iam saepius commemoratam intercedere vidimus. Ephetas autem, ut qui sine dubio eupatridae fuerint, nihilo setius re vera fuisse *ἀριστίνδην αἱρεθέντας*, pro certo adfirmari potest. Quod recte Stoi. admonet. Ad hanc autem quaestionem diiudicandam, utrum Pollucis verba ab illo mendo profecta sint necne, adnotationem illam nihil pertinere apparet.

Addendum esse videtur Pollucem vel auctorem eius et alias depravata apud Demosthenem scriptura fuisse deceptum[1]).

Sed — ut aliquando ad finem huius partis disputationis nostrae veniamus — ex iis, quae attuli, satis apparet verba Pollucis — VIII, 125 — *ἀριστίνδην αἱρεθέντας* a vitiato verbo *τούτοις*, quod in legem (Pseudo-)Demosthenis adv. Mac. — p. 1069, § 57 — se insinuaverat, profecta esse.

Sin autem verba *ἀριστίνδην αἱρεθέντας* talem habent originem, quid de toto enuntiato cogitari oportet: *Δράκων δ'αὐτοὺς κατέστησεν ἀρ. αἱρ.*?

---

1) Ut cum vitiato verbo *τούτων* in oratione Demosthenis in Euergum et Mnesibulum (XLVII) p. 1161, § 72 scripto locum suum VIII, § 118 confunderet. Longum est haec enarrare. Ad Philippium delego — l. l. (1874) p. 79—84 — cui Lipsius de ipsa re adsensus est — Burs. Jahresber. Jahrg. VI (1878) vol. 15, 1880, p. 286. Et Stoientinus cum Philippio consentire videtur — l. l. pag. 63. Schoemannus autem repugnat — N. J. 1876, p. 134 sq. — sed gravissima argumentorum Philippii neglegit.

Philippi, qui conclusionem illam de verbis *ἀρ. αἱρ.* invenit, primo de toto enuntiato dubitavit, utrum id quoque aspernari deberet necne[1]). Weckleinius[2]) autem sine ulla dubitatione totum enuntiatum repudiavit, mox Langius[3]) et Philippi ipse[4]) Weckleinium secuti sunt. Tum Lipsius, Gilbertus, alii iis adsensi sunt, nuperrime Alexanderson[5]). Recte illi quidem mihi videntur hoc fecisse.

Primum enim confitendum esse videtur, cuius enuntiati pars quaedam eaque magni momenti demonstrata est ab errore profecta esse, eius ceterae parti nisi certis argumentis fidem adiudicari non posse. Deinde difficile non est ostendere, qua via Draco inventus sit auctor ephetarum instituendorum. Nam cum de ephetis — id quod iam supra dictum est K. O. Muellerum animadvertisse[6]) — in Draconis legibus solis mentio fiat, scriptori non satis accurato in mentem venire facile potuit conicere Draconem fuisse eorum auctorem. Et causa quaedam haud scio an fuerit, cur Pollux — vel is, qui hunc locum primus conscripsit — auctorem certum ephetarum invenire vellet, quia paulo post Areopagi auctor commemoratur, Solon. Itaque recte mihi videtur colligi posse toti huic enuntiato Pollucis: *Δράκων δ᾽αὐτοὺς κατέστησεν ἀριστίνδην αἱρεθέντας*, omnem fidem abrogandam esse[7]).

---

1) Phil., N. J. 1872; Rh. Mus. 1872 (ed. 1874).

2) Weckl. 1873.

3) Lang. 1874.

4) Phil., Ar. u. Eph. 1874.

5) Alexanderson, 1885.

6) V. supra p. 13.

7) Forchhammer — Philologus 1876, p. 465—473 — Pollucis verba ita interpretatus est, ut diceret Draconem ephetas non instituisse, sed de iis iam antea institutis praecepisse, ut *ἀριστίνδην* eligerentur. *αἱρεθέντας* enim accus. praedicativ. esse: "Drakon habe die

Sed quia Pollux — VIII, 125 — solus nobis tradit ephetas fuisse a Dracone institutos, efficitur, ut causa iam adsit nulla, cur Draconem pro auctore ephetarum habeamus [1]).

Atque Draconem tanti momenti institutum non condidisse hoc quoque testimonio adfirmatur, ab Aristotelis Politicis ducto, ubi — II, 9, 12 — scriptum est: *Δράκοντος δὲ νόμοι μέν εἰσι, πολιτείᾳ δ'ὑπαρχούσῃ τοὺς νόμους ἔθηκεν· ἴδιον δ'ἐν τοῖς νόμοις οὐδέν ἐστιν ὅ τι καὶ μνείας ἄξιον, πλὴν ἡ χαλεπότης διὰ τὸ τῆς ζημίας μέγεθος.* Etsi Schoemannus institutionem ephetarum ad *τὴν πολιτείαν* referri non posse censebat [2]), negari non potest iudiciis homi-

---

Epheten nach Würdigkeit wählbar gemacht." Quod ut probet duo exempla adfert, ubi adiectiva praedicativa vice fungantur — Aristot. Polit. II, 12: *τὰ δικαστήρια μιστοφόρα κατέστησε Περικλῆς*; Antiphon p. 116, 15: *καθαρὰν τὴν πόλιν καταστῆσαι* —; unum ubi eodem modo adhibeatur participium aor. cum partic. *ἄν* coniunctum — Thuc. 7, 42 *ὁρῶν τὸ παρὰ τείχισμα . . . ἁπλοῦν τε ὄν, καὶ . . . ῥᾳδίως ἂν αὐτὸ ληφθέν.* Quae exempla nihil valere recte Schoemannus — N. J. 1875, p. 464 — animadvertit. Potest enim *καθιστάναι* ita adhiberi cum adiect. vel part. praes. coniunctum — ut Eurip. Androm. 635 sq.: . . . *παῖδα θ', ὅς κλαίοντά σε| καὶ τὴν ἐν οἴκοις σὴν καταστήσει κόρην* — ; exemplum autem quod Forchh. adfert, partic. aor. adiuncta partic. *ἂν*, nihil pro sententia eius testatur. Animadvertendum etiam est. quod in *προσκατέστησεν* paulo infra, eodem apud Poll. loco. *κατέστησεν* vim instituendi habet. — Cfr Herod. 6, 131: *Κλεισθένης τε ὁ τὰς φυλὰς καὶ τὴν δημοκρατίην Ἀθηναίοισι καταστήσας* . . .

1) Et Timaeus — Lexicon Platonicum — haec habet: *ἐφέται· πεντήκοντά εἰσιν οὗτοι οἱ ἀπό Δράκοντος περὶ φόνου δικάζοντες κριταί.* Apparet haec verba interpolando nata esse, cum apud Platonem ephetarum mentio non facta sit. Profecta sunt a Polluce vel eius auctore. V. Lang. 1874, pag. 5.

Quod ad *πεντήκοντα* attinet, manifestum est *εἷς* vel *καὶ εἷς* excidisse ante *εἰσιν*, quod sequitur. Weckl. l. l. p. 13; Lang. 1874, p. 19. Et Stoient., l. l. p. 77, "fere constanti grammaticorum more" omissum esse quinquagesimum primum censet.

2) De Areop. et Eph., Op. Ac. I, p. 194. — N. J. 1875, p. 156.

cidariis Areopago ademptis et ad alios novosque iudices, ephetas, delatis plus in rei publicae institutis mutatum esse, quam ut recte dici possit Draconem *ἴδιον ἐν τοῖς νόμοις ὅ τι καὶ μνείας ἄξιον* nihil sanxisse; praesertim si Draco — ut Schoemannus opinatus est[1]) — non solum novos instituerit ephetas, sed etiam novis praeceperit formulis legis, quo modo necessarii caedem propinqui ulcisci deberent.

Quod si a Dracone ephetae non sunt instituti, a quonam tempore est origo eorum repetenda? Primum ad lapidem illum anni 409/8 delego, quo efficitur ephetas iam ante Draconis tempora Athenis fuisse[2]). Deinde ad eas fabulas reicio, quae apud Athenienses de iudiciis illis homicidariis tradebantur. E quibus colligendum esse videtur ab Atheniensibus ipsis ephetas habitos esse antiquissimis rei publicae temporibus institutos.

---

1) N. J. 1875, p. 157.

2) Primi versus inscriptionis haec continent (Cfr Philippi 1874, p. 335. — Dittenb. Syll. Inscr. Gr. Lips. 1883, I, p. 87 sq.):

v. 1 *Διόγν(η)τος Φρεάρριος ἐγραμμάτε(υε)*
v. 2 *Διοκλῆς ἦρχε*
v. 3 *(Ἔ)δοξεν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμω(ι). Ἀκα(μ)αν τ(ὶς ἐπρυτάν)ευε, (Δι)ό γ)*
v. 4 *νητος ἐγραμμάτευε, Εὐθύδικο(ς ἐπεσ)τάτει. (Ξ)ε(νοφ)άνης ε(ἶ)πε· (τ)ὸ(ν)*
v. 5 *Δράκοντος νόμον τόμ περὶ τοῦ φ(όν)ου ἀν(α-) γρα(φ)σά(ν)τ(ων οἱ ἀ)ν(αγρ)αφῆ-*
v. 6 *ς τῶν νόμων παραλαβόντες παρὰ (τ)οῦ(βα σιλέως μετὰ τοῦ γραμμ)ατέω-*
v. 7 *ς τῆς βουλῆς ἐστήλῃ λιθίνῃ κα(ὶ κ)α(τ)α (θέν)τ(ων πρόσθεν τ)ῆ(ς) στο-*
v. 8 *ᾶς τῆς βασιλείας. οἱ δὲ πωληταὶ ἀ(π)ομ(ι- σθωσάντων κατὰ τὸν νό)μο*
v. 9 *ν. οἱ δὲ Ἑλληνοταμίαι δόντων τὸ ἀ(ργύριον).*

Quo autem munere functi sunt? Constat eos de caedibus iudicavisse; pro certo adfirmari potest haec iudicia eos in quattuor illis dicasteriis exercuisse; num etiam in Areopago, in dubium vocatur[1]). Quid tamen veri simillimum nobis videatur, infra, in cap. sept., demonstrabimus.

Quibus omnibus rebus expositis atque perpensis satis mihi causae adesse videtur, cur statuamus **ephetas antiquitus Athenis iudices fuisse.**

Plura quidem de ephetis ex antiquis monumentis cogno-

Etiam apud Demosth. — adv. Macart. p. 1069, § 57 et contra Aristocr. p. 632, § 38, ubi diversae partes legis lapidariae adferuntur — mentionem fieri ephetarum admonemus. Et apud Andocid. — *περὶ μυστηρ.* § 78 — populi scitum laudatur, *ψήφισμα* Patroclidis, ubi ephetae commemorantur. Praeterea nihil de ephetis apud oratores invenitur. Cfr Phil. l. l. 1874, p. 209.

1) Nescio an Pollux — VIII, 125 — locupletem auctorem quendam secutus sit, cum traderet ephetas ante Solonem in omnibus quinque dicasteriis iudicia habuisse, *ἐν τοῖς πέντε δικαστηρίοις.* Neque enim crediderim id iure adfirmari posse totam hanc paragraphum Pollucis ob eam causam aspernandam esse, quod manifestum sit enuntiatum illud *Δράκων δ' αὐτοὺς κατέστησεν ἀρ. αἱρ.* ab errore profectum esse. Auctorem Pollucis e multis scriptoribus hausisse apparet. Vera et falsa apud eum permixta sunt. Stoient. — pag. 87 — »vidimus Pollucem saepe optima, saepe deteriora, saepe aperte falsa tradere. itaque vel maxime lubricum est, ne dicam perversum, non solum ex altero loco de altero, sed etiam ex altera parte unius eiusdemque loci de altera aliquid concludere: nam qui modo pessime erravit, idem persaepe statim verissima tradidit«. Quae si recte a Stoientino disputata sunt, fortasse hoc loco boni auctoris testimonium apud Pollucem servatum habemus. Sed cum fontem huius loci inquirere non possimus, nihil de hac re pro certo adfirmare licet. — Animadverterunt alii Pollucem vel auctorem eius concludendo inventa haec tradere potuisse. Cum enim Plutarchus narret — Sol. cap. 19 — veteres homines doctos observasse Draconem in legibus suis de ephetis solis mentionem facere, in promptu fuisse dicunt colligere ephetas post Draconem in omnibus dicasteriis, etiam in Areopago, iudicavisse. Wachsmuth. 1874, p. 475; Lipsius 1881, p. 22.

vimus, sed ea ad id tempus pertinent omnia, quo magni oratores Attici viguerunt[1]).

1) Sunt enim testimonia lexicographorum, Harpocrationis, Photii, Suidae, aliorum. De quibus luculenter disputavit Philippi — Ar. u. Eph., p. 209—213, cfr et 318—329. — E disputatione Philippii apparet ea, quae illi lexicographi doceant, omnia a magnorum oratorum temporibus esse repetenda; post Solonem ephetas in quattuor dicasteriis solis iudicavisse, ad Palladium, ad Delphinium, ad Prytaneum, in Phreatto, non multo post Euclidem archontem — a. 403/2 — tantummodo ad Prytaneum et in Phreatto; imminutam auctoritatem ephetarum verbis Pollucis — VIII, 125 — significari: *κατὰ μικρὸν δὲ κατεγελάσθη τὸ τῶν ἐφετῶν δικαστήριον.* Cfr Lang. 1874, p. 1.

V.

Quaenam inter ephetas naucraros Areopagum intercesserit ratio generatim exponitur.

Ad hunc locum disputationis mihi videor commentarium meum velut in solidis fundamentis et firmis exstruxisse. Fortasse hoc loco subsistendum erat. Lipsius[1]) ille quidem censet satis habendum esse hoc solum statuere: ephetas antiquitus in quattuor tantummodo dicasteriis iudicia exercuisse atque ab iis diversa fuisse haec duo dicasteria: Areopagum et Prytaneum[2]). Quod si eorum est, qui in hoc antiquitatis studio versantur, non solum quod e fontibus hauriri potest undique indagare, sed etiam quae nobis e tanta vetustate fracta atque dispersa traduntur, componere atque ita inter se coniungere, ut natura eorum intellegi possit, recte viri docti longius progredi et concludendo atque coniciendo cum de ephetis tum de ceteris institutis antiquis imaginem quandam animo suo informare conati sunt, probabilem et rationi naturaeque consentaneam. Sunt enim complura instituta magistratusque veterum temporum eiusmodi, quorum origo et officia obscuriora videantur. Nam praeter ephetas de Areopago, naucraris, prytanibus quibusdam deque senatu qui fuerit, ambigitur. Haec omnia instituta distincta inter

1) Der attische Process, 1881, p. 22—23.

2) Quae omnia tria iudicia in Solonis lege oblivionis — Plut. Sol. cap. 19 — commemorantur.

se fuisse veri simile non est. Societate quadam inter se coniuncta sine dubio ita fuerunt, ut aliqua eorum, quae hoc loco seorsim commemoravi, reapse unum institutum fuerint — id quod e. gr. de senatu et prytanibus vel Areopago suspicari licet.

Est igitur nobis inquirendum, quam inter ephetas et illa instituta rationem veri simillimum sit intercessisse.

Statuendum est haec duo instituta in vetere republica fuerint necesse esse: iudicia et senatus; accedit etiam — posteriore fortasse aetate — terrae quaedam discriptio, ex qua publica munera in pecuniis conferendis, militibus conscribendis, navibus apparandis constituerentur.

Ephetas iudices antiquitus fuisse constat;

utrum iidem senatores fuerint necne, quaeritur;

ad rem autem pecuniariam vel militarem ephetae ita referri possunt, si senatorium munus cum hac cura coniunctum fuisse existimetur [1]).

Fieri autem potest, ut ephetae aut iudices tantummodo fuerint (ut Schoemannus, Forchhammer, Schoellius, Weckleinius, Lipsius contenderunt)

aut et iudices et senatores.

Sin autem ephetae etiam senatores antiquae rei publicae Atheniensium fuerunt, quaerendum est

utrum iidem et areopagitae fuerint (ut Mueller, Langius, Philippi cont.)

an naucrari vel prytanes naucrarorum (ut Duncker, Hammarstrandius)

an prytanes alii quidam (ut Lipsius)

an ab omnibus iis diversi.

Quod enim ad senatum attinet antiquum, quidam viri docti censuerunt

1) Vide pag. 39 sq.

Areopagum eum fuisse (plerique)

vel naucraros, sive ab ephetis diversos (ut Forchh., Schoellius, Wecklein.) sive eosdem atque ephetas (ut Duncker, Hammarstr.)

vel prytanes quosdam (ut Lipsius).

vel ephetas [1]).

De prytanibus illis, quos Lipsius proposuit [2]), primum pauca dicam. Neque ephetas neque Areopagum neque naucraros prytanesve eorum censet Lipsius senatum fuisse, sed alios quosdam prytanes, quorum vestigia sint et *πρυτανεῖον* et *πρυτανεῖα*. Sed *πρυτανεῖον* a senatoribus antiquis dictum esse minime constat [3]). Veri similius videtur hoc nomen cum eo vel iis, qui summae rei publicae praeerant, cohaerere; Prytaneum locum fuisse, quo senatores convenirent, ut cum rege vel iis, qui regibus successerant, deliberarent. Sed etiamsi senatores antiqui prytanes appellati sint, quo iure novum statuimus consilium? Hoc prytanum nomen de senatoribus usurpari potuit, sive Areopagus senatus erat sive naucrari.

De naucraris autem et de Areopago uberius disputare necesse erit.

---

1) V. infra p. 61.

2) Lipsius 1881, p. 12, n. 12.

3) Langius 1874, p. 65 sq. Cfr infra p. 65, n. 4 — Philippi 1874, p. 225.

VI.

Quae sit naucrarorum origo et quaenam inter eos ephetasque coniunctio intercesserit.

Apud Herodotum — V, 71 — prytanes naucrarorum commemorantur. Iis temporibus, quibus Cylonea seditio exoreretur, eos rei publicae praefuisse narrat[1]). Hoc uno loco veterum scriptorum naucrari ante Solonis aetatem fuisse traduntur. Quo testimonio nixi recentiorum scriptorum permulti censuerunt naucraros vel prytanes naucrarorum senatores antiquae rei publicae fuisse[2]).

Inter illos scriptores duos elegi, quorum sententias exponerem, ut appareret, quo modo sibi naucrariarum institutum

---

1) Herod. V, 71: . . . *οἱ πρυτάνιες τῶν ναυκράρων, οἵ περ ἔνεμον τότε τὰς Ἀθήνας.*

2) Ut Schoem. 1838, p. 172 sq.: Naucraros, quales fuerint quove tempore instituti, etiamsi parum constet, tamen certum esse iam eo tempore, quo Cylon novas res moveret, Athenis fuisse. Naucraros probabile videri plures singularum naucrariarum praefectos fuisse, iisque 48 prytanes naucrarorum praefuisse, singulos singulis naucrariis. Hos prytanes alterum — praeter Areopagum — senatum fuisse et in summa re publica administranda haud exiguas partes habuisse. Postea — v. Griech. Alt. 1³, p. 345 — paululum sententiam suam mutavit ita, ut crederet naucraros 48 tantummodo fuisse numero, quorum principes *πρυτάνεις* appellarentur. Inter prytanes et novem archontes numeratos esse. — Quod ad tempus attinet, quo naucrariae institutae sint, censet veri simillimum esse eas non ita multo ante Solonem institutas esse, quia tum demum longis navibus ad bellum Megarense opus esset. Cfr Verfassungsgesch. 1854, p. 14.

cogitatione fingerent ii, qui censerent senatores eosdem fuisse atque naucraros.

Hammarstrandius enim statuit antiquum senatum fuisse necesse esse[1])

senatum illum et de caedibus similibusque causis iudicia habuisse[2])

atque nihil aliud fuisse quam duodecim principes (prytanes), quorum singuli singulis phratriis praeessent, et in eorum numero etiam quattuor φυλοβασιλεῖς fuisse[3]);

iam antiquis temporibus veterum gentium terraeque discriptionem bellis, immigrationibus mutatisque sedibus adeo turbatam esse, ut nova terrae discriptione opus esset; etiam ad militares usus hoc necesse fuisse, quia imprimis litora tuenda essent et navigatio; ob eam rem naucrarias institutas esse, et 48 naucrariis singulos praefuisse naucraros; eosdem etiam senatores fuisse, quod, cum eupatridarum numerus augeretur opesque eorum, regia potestate imminuta, crescerent, pluribus senatoribus opus esset;

ex iis delectos duodecim, qui singulis τριττύσι praefecti essent, prytanes naucrarorum appellatos esse, eosdem et phratriarchos fuisse, cum veri simile esse censeat eadem oppida fuisse capita et trittyum et phratriarum[4]).

Ita novum naucrariarum institutum existimat H. et ad pecuniarios militaresque usus aptum fuisse et veteri gentium discriptioni successisse, atque in numero naucrarorum fuisse et φυλῶν et φρατριῶν praefectos.

---

1) Hammarstr., Athen. statsf. 1863, p. 36.

2) Pag. 39.

3) Pag. 39, 41, 42.

4) L. l. p. 47 sq.

De ephetis pauca commemorat. Fieri potuisse censet, ut ephetae iidem atque naucrari (senatores) fuerint[1]).

Hammarstrandium vetera instituta ita descripsisse apparet, ut rerum progressus probabilis videretur. Animadvertendum est eum significasse ephetarum collegium fortasse idem atque senatum fuisse, qua in re, ut infra apparebit, ei adsentimur. Naucraros autem eosdem atque ephetas fuisse non credimus. Naucraros enim censemus non solum aetate multo posteriores fuisse — id quod sententiae Hammarstrandii obstare minime necesse est, cum fieri potuerit, ut naucrari ephetis succederent eorumque nomen exciperent eodem modo, quo Hammarstrandius censet naucraros areopagitis successisse — sed etiam ab ephetis senatuque prorsus disiungendos esse. Quibus de causis hoc arbitremur, infra exponemus.

Weckleinius[2]) ephetas putat — id quod supra ostendimus[3]) — ab antiquissimis temporibus repetendos esse; censet idem et in Areopago et in ceteris quattuor dicasteriis eos iudicavisse;

negat iudices causarum *φονικῶν* apud Athenienses eosdem fuisse atque senatores,

senatum antiquum credit naucraros fuisse, quorum originem statuit in antiquissimis temporibus ponendam esse.

Quibus testimoniis permotus haec statuerit, paucis verbis exponam.

Primum commemorat *Πρυτανεῖον* fuisse curiam antiquam, quo senatus regius conveniret. Thucydidem adfert

1) L. l. p. 48, n. 1.
2) Der Ar., die Eph. u. die Naukr., 1873.
3) V. supra p. 30.

II, 15, § 1: *ἡ Ἀττικὴ ἐς Θησέα ἀεὶ κατὰ πόλεις ᾠκεῖτο πρυτανεῖά τε ἐχούσας καὶ ἄρχοντας*, quibuscum verbis comparat § 2: *καταλύσας τῶν ἄλλων πόλεων τά τε βουλευτήρια καὶ τὰς ἀρχάς*. Colligit *πρυτανεῖον* idem fuisse atque *βουλευτήριον*. Quae proxima sunt verba: *ἐς τὴν νῦν πόλιν οὖσαν, ἓν βουλευτήριον ἀποδείξας καὶ πρυτανεῖον, ξυνῴκισε πάντας*, ita interpretatur, ut Thucydidem dixisse putet: "Ein *βουλευτήριον* in dem Einen *πρυτανεῖον*"[1]). Societatem quandam inter *πρυτανεῖον* et senatum hoc modo sibi invenisse videtur. Quis autem fuit ille senatus, *πρυτάνεις*? Herodotum — V, 71 — respondisse existimat: "*οἱ πρυτάνιες τῶν ναυκράρων, οἵ περ ἔνεμον τότε τὰς Ἀθήνας*".

Deinde ut vindicet naucraris vetustatem, de societate admonet, quam inter colacretas et naucraros fuisse constat. Colacretas enim — ante apodectas a Clisthene institutos — dispensatores fuisse et alius pecuniae et eius, ex qua sumptus naucrarici fierent. Colacretas iam regum temporibus fuisse commonefacit eorumque institutionem cum Prytaneo intime cohaerere. Nam et *πρυτανεῖα* eos accepisse et publicas in Prytaneo epulas curavisse — quae munera etiam post Clisthenis aetatem colacretarum erant.

Quid impedire, quominus credamus naucraros quoque iam illa regum aetate fuisse institutos? Haec nobis probare conatur nova ipsius vocabuli naucrarorum interpretatione. Quod unde ductum velit, paucis exponam.

Hesychium adfert s. v. *ναύειν· ἱκετεύειν παρὰ τὸ ἐπὶ τὴν ἑστίαν καταφεύγειν τοὺς ἱκέτας*; Photium s. v. *ναύειν· ἱκετεύειν ἐπεὶ ἐν τοῖς ναοῖς ἦσαν ἢ παρὰ τὴν ἑστίαν παρὰ τὸ ἐναῦσαι*. Animadvertendum censet esse vocabulum *ἑστία*

1) Hunc locum in contrariam partem interpretatur Langius, 1874, pag. 64.

mirum in modum a grammaticis ad voc. *ναύειν* interpretandum adhiberi. Voc. *ναός* (aeol. *ναῦος*) aram significare conicit, voc. *ἑστία* autem ignem in ara ardentem, qua coniectura sibi videtur originem huius significationis verbi *ναύειν* ostendisse. Itaque *ναυκράρους* "dominos arae vel foci" significare. Alia testimonia esse Hes. s. v. *ναύκληρος· ὁ τῆς συνοικίας προεστώς*, Polluc. I, 74 et 75: *ἄλλως δὲ ὁ δεσπότης τῆς οἰκίας στεγανόμος· παρὰ δὲ τοῖς Δωριεῦσι καὶ Αἰολεῦσιν ἑστιοπάμων ὀνομάζεται· ἔνιοι δ᾽αὐτὸν καὶ ναύκληρον ἐκάλεσαν* cet.

Ad sententiam suam confirmandam hunc quoque locum Hesychii adfert: *ἀειναῦται· ἀρχῆς ὄνομα παρὰ Μιλησίοις.* Quibuscum *ἀειναύταις* Milesiis comparat *ἀεισίτους* Athenienses, qui in Prytaneo epulabantur; itemque *κωλακρέτας* etiam Cyzici fuisse observat. Cyzicum Milesiorum coloniam fuisse admonet et Miletum Atheniensium. Coloniarum igitur *κωλακρέτας* et *ἀειναύτας* respondere Atheniensium *κωλακρέταις* et *ναυκράροις*.

Quamvis sagaciter excogitata, tamen in coniecturis haec fere omnia versantur neque iis satis probabilibus. Iam antea commemoravimus minime constare a senatu vetere Prytaneum nomen habere[1]). Et quo iure concludi potest colacretas et naucraros tam arte inter se coniunctos esse? Colacretae ante Clisthenis aetatem quaestores rei publicae erant totamque rem pecuniariam Atheniensium soli administrabant. Quam ob rem, sive ab antiquissimis temporibus repetitur naucrariarum origo sive postea institutae sunt, colacretae suo iure fuerunt custodes pecuniae naucraricae atque dispensatores[2]).

---

1) Supra pag. 37.
2) Cfr Lang. 1874, p. 60. — Phil. 1874, p. 229.

Et quod ad nominis interpretationem illam attinet, non facile nobis persuademus rem tam obscuram tam incerta coniectura expediri posse atque absolvi, praesertim quae priorem solam attingat verbi partem. G. Meyer, vir etymologiae peritissimus, totam hanc interpretationem refellit censetque nomen naucrarorum a verbo ναῦς, navis, et radice κρ (κραίνω) ducendum esse[1]).

Restat quod Herodotus nobis tradit, quo tempore Cylonei seditionem facerent, prytanes naucrarorum rei publicae praefuisse. Utcumque se haec res habet, de antiquissimis temporibus apparet nihil ex hac narratione Herodoti posse concludi. Sed et de hoc loco Herodoti et de origine naucrarorum iam diligentius quaerendum est.

De tempore, quo instituti sint naucrari, diversae sunt sententiae propositae. Fuerunt qui putarent naucraros inde a regum temporibus repetendos esse — ut E. Curtius[2]), Schoellius[3]), Forchhammer, Weckleinius[4]). Alii censuerunt ante Solonem illos quidem exstitisse, certum autem tempus non definierunt — ut Zellius[5]), Hammarstrandius[6]). Plurimi autem eos saeculo septimo a. Chr. n. institutos esse existimant, aut circiter anno 683, quo tempore summum imperium inter novem archontes divisum est — ut Duncker[7]), Philippi[8]), aut non ita multo ante seditionem Cyloneam —

1) Curtius Studien VIII, Leipz. 1875, p. 175 sq.

2) Gr. Gesch. 1874, 1[4], p. 293.

3) Hermes VI, 1872.

4) Vide p. 40 sq.

5) Zelle, Beiträge zur ältern Verfassungsgesch. Athens, Dresden 1850.

6) Vide pag. 39 sq.

7) Duncker, Gesch. des Alt:s, Berl. 1852—57.

8) Phil., Gesch. des att. Bürgerrechts, 1870.

ut Schoemannus [1]). Nuper Gilbertus [2]) ostendere conatus est naucraros a Solone institutos esse.

Primum veterum scriptorum testimonia inspiciamus.

Herodotus — V, 71 — cum paucis verbis commemorat seditionem Cyloneam, comites Cylonis narrat ad aram in arce supplices consedisse et cum impetravissent "prytanes naucrarorum", ut aram relinquerent, violata fide occisos esse. Verba Herodoti haec sunt: *τούτους ἀνιστᾶσι μὲν οἱ πρυτάνιες τῶν ναυκράρων, οἵ περ ἔνεμον τότε τὰς Ἀθήνας, ὑπεγγύους πλὴν θανάτου· φονεῦσαι δὲ αὐτοὺς αἰτίη ἔχει Ἀλκμεωνίδας· ταῦτα πρὸ τῆς Πεισιστράτου ἡλικίης ἐγένετο.*

Ex his verbis apparet Herodotum accepisse Alcmaeonidas culpa teneri Cyloneorum occisorum, neque ipsum de ea re ita iudicavisse. Vult Herodotus culpam in prytanes naucrarorum traicere, "qui tum rem publicam administrabant".

Thucydides de hac ipsa re post Herodotum uberius scripsit — I, 126: *ὁ δὲ* (Cylon) *παρά τε τοῦ Θεαγένους δύναμιν λαβὼν καὶ τοὺς φίλους ἀναπείσας . . . . κατέλαβε τὴν ἀκρόπολιν ὡς ἐπὶ τυραννίδι . . . . . . οἱ δ' Ἀθηναῖοι αἰσθόμενοι ἐβοήθησάν τε πανδημεὶ ἐκ τῶν ἀγρῶν ἐπ' αὐτοὺς καὶ προσκαθεζόμενοι ἐπολιόρκουν· χρόνου δὲ ἐπιγιγνομένου οἱ Ἀθηναῖοι τρυχόμενοι τῇ προσεδρείᾳ ἀπῆλθον οἱ πολλοί, ἐπιτρέψαντες τοῖς ἐννέα ἄρχουσι τήν φυλακὴν καὶ τὸ πᾶν αὐτοκράτορσι διαθεῖναι ᾗ ἂν ἄριστα διαγιγνώσκωσι· τότε δὲ τὰ πολλὰ τῶν πολιτικῶν οἱ ἐννέα ἄρχοντες ἔπρασσον· οἱ δὲ μετὰ τοῦ Κύλωνος πολιορκούμενοι φλαύρως εἶχον σίτου τε καὶ ὕδατος ἀπορίᾳ. ὁ μὲν οὖν Κύλων καὶ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ ἐκδιδράσκουσιν· οἱ δ' ἄλλοι, ὡς ἐπιέζοντο καί τινες καὶ ἀπέθνησκον ὑπὸ τοῦ λιμοῦ, καθίζουσιν ἐπὶ τὸν βωμὸν ἱκέ-*

1) Vide pag. 38, n. 2.
2) Gilbert, N. J. 1875. p. 9—20.

ται νὲν ἐν τῇ ἀκροπόλει. ἀναστήσαντες δὲ αὐτοὺς οἱ τῶν Ἀθηναίων ἐπιτετραμμένοι τὴν φυλακήν, ὡς ἑώρων ἀποθνήσκοντας ἐν τῷ ἱερῷ, ἐφ' ᾧ μηδὲν κακὸν ποιήσουσιν, ἀπαγαγόντες ἀπέκτειναν· καθεζομένους δέ τινας καὶ ἐπὶ τῶν σεμνῶν θεῶν ἐν τοῖς βωμοῖς ἐν τῇ παρόδῳ διεχρήσαντο.

Videmus Thucydidem rem hoc modo exponere: Cum Cylonei arcem occupassent, undique ex agris concursum est primo tumultu. Deinde, cum vidissent quid ageretur, et quia obsidione defatigati erant et fortasse quia rem non ita magni momenti esse intelligebant, οἱ πολλοί, plurimi — id enim significare οἱ πολλοὶ mihi videtur, vel potius hoc loco: multitudo — in domus suas discesserunt, archontibus relinquentes totam curam, ut facerent quod iis videretur [1]). Postea archontes — iis enim arcis custodia commissa erat — fide violata Cyloneos occiderunt.

Perspicuum est non nihil inter Herodoti narrationem interesse et Thucydidis. Herodotus ait prytanes naucrarorum tum rei publicae praefuisse et penes eos culpam violatae religionis esse; Thucydides autem idem de novem archontibus — quorum primus tum de Alcmaeonidis unus erat, Megacles — neque de prytanibus naucrarorum mentionem facit, quamquam multo uberius quam Herodotus hanc rem narrat. — Mihi quidem manifestum videtur Thucydidem narrationem Herodoti corrigere voluisse [2]). Cum enim duo scriptores in eadem re enarranda tantum inter se differant, fieri non

---

1) Neque credo quidquam rite ab iis in nescio quo concilio suffragiis de hac re decretum esse. Cfr Lang. p 60 (1874).

2) Schoemannus negat Thucydidem aut hoc loco aut alias Herodotum refellere voluisse. N. J. 1875, p. 462. — Gilbertus, N. J. 1875, et ipse negat, quod ad hunc locum attinet. Thucydidem verbo τότε dissimilitudinem censet spectavisse archontum potestatis, qualis Thucydidis aetate esset et ante Solonem. Sit ita. Sed mihi videtur Thucydides non singulis verbis, sed tota sua narratione Herodotum repudiavisse.

potest, quin alter alterum — apparet Thucydidem Herodoti librum cognovisse — refellere velit. Eoque maioris momenti mihi videtur, quod Thucydides prytanum naucrarorum mentionem hoc loco omisit[1]).

Apparet Herodotum — bona fide ille quidem — fabulam quandam Alcmaeonidarum gentis nobis tradidisse, qua sacrilegium a Megacle suaque gente in alios transferre vellent; Thucydidem autem verum indagasse neque id celare voluisse[2]). Tum autem de fide huius loci Herodoti non nihil derogandum est. Sed nullo alio antiquitatis testimonio traditum est naucraros ante Solonem fuisse.

Gravissimum mihi videtur Photii testimonium: *ναυκραρία· τὸ πρότερον οὕτως ἐκάλουν ναυκραρία καὶ ναύκραρος. ναυκραρία μὲν ὁποῖον τί ἡ συμμορία καὶ ὁ δῆμος· ναύκραρος δὲ ὁποῖόν τι ὁ δήμαρχος, Σόλωνος οὕτως ὀνομάσαντος· ὡς καὶ Ἀριστοτέλης φησί· καὶ ἐν τοῖς νόμοις λέλεκται ἐάν*[3]) *τις ναυκραρίας ἀμφισβητῇ καὶ τοὺς ναυκράρους τοὺς κατὰ ναυκραρίαν· ὕστερον δὲ ἀπὸ Κλεισθένους δῆμοί εἰσιν καὶ δήμαρχοι ἐκλήθησαν· ἐκ τῆς Ἀριστοτέλους πολιτείας,*

---

1) Optandum illud quidem erat iis, qui sententiam Gilberti sequuntur, ut Thuc. disertis verbis docuisset naucraros illis temporibus non institutos esse. Sed e silentio eius contrarium concludere mea quidem sententia non licet.

2) Langius, 1874, p. 60, animadvertit sententias Thucydidis et Herodoti ita inter se conecti posse, ut censeamus archontes summam imperii habuisse, prytanes autem naucrarorum, quia ad rem militarem haec institutio pertineret, iis quodam modo adiutores adiunctos fuisse. Si res se ita habeat, id saltem apparet prytanes naucrarorum non tantam auctoritatem habuisse, ut iure credere possimus eos senatum vel e senatoribus delectos fuisse. — Sed mihi quidem videtur veri simillimum esse — id quod Gilbertus l. l. contendit – hunc locum Herodoti fabulam nobis praebere ab Alcmaeonidarum gente confictam.

3) C. Mueller, Fr. hist. gr. II, 108; — *λέγει* Gilbertus; — *δὲ ἄν* cod.

ὃν τρόπον διέταξε τὴν πόλιν ὁ Σόλων· φυλαὶ δὲ ἦσαν τέσσαρες καθάπερ πρότερον καὶ φυλοβασιλεῖς τέσσαρες· ἐκ δὲ τῆς φυλῆς ἑκάστης ἦσαν νενεμημέναι τριττύες μὲν τρεῖς, ναυκραρίαι δὲ δώδεκα καθ'ἑκάστην. Ο Κλείδημος δὲ ἐν τῇ τρίτῃ φησὶν, ὅτι Κλεισθένους δέκα φυλὰς ποιήσαντος ἀντὶ τῶν τεσσάρων συνέβη καὶ εἰς πεντήκοντα μέρη διαταγῆναι· ταῦτα[1]) *δὲ ἐκάλουν ναυκραρίας*[2]), *ὥσπερ νῦν εἰς τὰ ἑκατὸν μέρη διαιρεθέντα καλοῦσι συμμορίας.*

Hunc Photii locum ex Aristotelis *πολιτείαις* repetendum esse apparet. Aristotelis enim mentionem bis fieri videmus. Atque ut apud Photium post *ναυκραρίας* descriptas mutatio a Clisthene facta commemoratur, ita apud Aristotelem quoque de *ναυκράροις* ante ea verba scriptum esse, quibus de Clisthene mentionem facit, etiam ex iis Aristotelis verbis, quae ab Harpocratione adferuntur, colligi potest: *ναυκραρικά· . . . . Ἀριστοτέλης δ'ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ φησὶ "κατέστησεν καὶ δημάρχους τὴν αὐτὴν ἔχοντας ἐπιμέλειαν τοῖς πρότερον ναυκράροις· καὶ γὰρ τοὺς δήμους ἀντὶ τῶν ναυκραριῶν ἐποίησεν"*[3]).

---

1) C. Mueller; — *αὐτοὺς* cod.

2) C. Mueller; — *ναυκράρια* cod.

Monet etiam Gilbertus — l. l. p. 13 — fieri potuisse, ut et postrema verba: *ὁ Κλείδημος κ. τ. λ.* ex Aristotelis libro excerperentur. Cum enim symmoriae illae inter a. 354 et 340 Athenis essent, Clitodemum perspicuum est haec scripsisse ante quam Aristoteles suum de re publ. Athen. librum conficeret. Mueller enim demonstravit — fragm. hist. gr. II, p. 121 — Aristotelem non ante a. 331 librum illum conscripsisse.

Ex Aristotele auctorem Photii excerpsisse et Stoientinus — l. l. p. 41 sq. — censet. Ostendit Aristotelem uno loco et de ordinibus illis tribus (*ἔθνεσι*), eupatridis georgis demiurgis, et de *φυλαῖς* earumque partibus commemorasse: *φρατρίας* tres in gentes distributas esse tricenas, itemque *τριττύας* tres in naucrarias quaternas. Haec autem alios grammaticorum alia excepisse docet.

Cum Gilberto[1]) consentiendum esse existimo censenti verba *Σόλωνος οὕτως ὀνομάσαντος* ita interpretanda esse, ut Solonem habeamus pro naucrariarum auctore. Neque enim intellegere possum, cur Solon novum nomen sibi inveniendum esse putaverit, nisi rem quoque novam in rempublicam induxerit[2]).

Solonem naucrarias instituisse ea quoque verba, quae paulo infra sequuntur, adfirmare videntur: *φυλαὶ δὲ ἦσαν τέσσαρες καθάπερ πρότερον καὶ φυλοβασιλεῖς τέσσαρες· ἐκ δὲ τῆς φυλῆς ἑκάστης ἦσαν νενεμημέναι τριττύες μὲν τρεῖς, ναυκραρίαι δὲ δώδεκα καθ᾽ἑκάστην.* Nam *καθάπερ πρότερον* nisi ad *φυλαὶ* et *φυλοβασιλεῖς* referri non potest. Apparet *ἐκ δὲ τῆς φυλῆς κ. τ. λ.* ad eam rei publicae immutationem, quam effecit Solon, pertinere. Quod autem Schoemannus[3]) negat eam sententiam in his verbis inesse atque, ut eo spectare possent, oportuisse *ἐνέμοντο* vel *ἐνεμήθησαν* pro *ἦσαν νενεμημέναι* scriptum esse, animadvertendum est Photii vel auctoris eius consilium fuisse non ut illa aut illa instituentem Solonem induceret, sed ut rem publicam adumbraret, qualis per Solonem constituta esset.

Recte igitur me quidem iudice contendit Gilbertus ab Aristotele fluxisse haec Photii verba, quibus nobis tradatur

1) L. l. p. 14.

2) Itaque neque Lipsio concedere possum Photii verba non aperte id dicere Solonem fuisse naucrarorum auctorem — Burs. Jahrb. 1881 — neque credo a Schoemanno rem expeditam esse affirmando ». . da Solons gesetzgebung bekanntlich auch die finanzverwaltung umgestaltete und hierbei die damals bestehende einrichtung der steuerkreise berücksichtigen muste, so war es ganz natürlich, wenn diese damals naukrarien und ihre vorsteher naukraren hiessen, dass er sie auch so benennen muste».

3) L. l. p. 453.

naucrarias a Solone institutas esse[1]. Attamen pro argumento plane certo Photii testimonium habere non audeo. Confitendum enim est neque satis perspicua esse verba *καὶ ἐν τοῖς νόμοις κ. τ. λ.* et per plurimas manus Aristotelis verba ad Photium transiisse. Fortasse aliquando lapidis inscripti testimonium aliquod rem minus dubiam reddet. Ut nunc res sunt, est tamen concedendum litterarum monumenta sententiae Gilberti magis favere quam obstare.

Si ipsius instituti naturam inspicimus, id mea quidem sententia ad Solonis aetatem pertinere videtur.

Nomen naucrarorum antea demonstravimus cum verbo *ναῦς*, navis, cohaerere. Grammatici veteres docent eos ad naves comparandas et equitatum conscribendum tributaque conferenda institutos esse. Ut Pollux VIII, 108: *δήμαρχοι οἱ κατὰ δήμους ἄρχοντες. ἐκαλοῦντο δὲ τέως ναύκραροι, ὅτε καὶ οἱ δῆμοι ναυκραρίαι· ναυκραρία δ' ἦν τέως φυλῆς δωδέκατον μέρος, καὶ ναύκραροι ἦσαν δώδεκα, τέτταρες κατὰ τριττὺν ἑκάστην· τὰς δ' εἰσφορὰς τὰς κατὰ δήμους διεχειροτόνουν οὗτοι καὶ τὰ ἐξ αὐτῶν ἀναλώματα. ναυκραρία δ' ἑκάστη δύο ἱππέας παρεῖχε καὶ ναῦν μίαν, ἀφ' ἧς ἴσως ὠνόμαστο*[2].

1) Quod autem Gilbertus l. l. animadvertit veri simile non esse octo et quadraginta naves longas ante Solonem Atheniensibus fuisse, concedimus. Sed, si naucrariae ante Solonem institutae sint, cur navium eundem numerum necessario credemus fuisse? Nonne is numerus tantus est, ut credere nequeamus ne Solonis quidem temporibus tam multas naves fuisse, etiamsi naucrariae octo et quadraginta essent. Schoem. N. J. 1875, p. 455 — Lipsius Burs. Jahresb. 1881.

2) Verba Harpocrationis s. v. *ναυκραρικά· . . ναυκράρους γὰρ τὸ παλαιὸν τοὺς ἄρχοντας ἔλεγον, ὡς καὶ ἐν τῇ ε' Ἡρόδοτος δηλοῖ*, ab Herodoto 5, 71 profecta esse apparet. Proxima sequuntur verba, quae pag. 47 attuli.

Tum autem non ante saeculum septimum origo eorum repeti potest. Illo enim saeculo primum, cum res maritimae Atheniensium increscere coepissent, navibus longis ad mercatores tuendos et ad pugnas navales opus erat. Sed non video, cur putandum sit Athenienses naves longas sibi comparare non potuisse, nisi naucrariae essent. Habebat etiam tum res publica senatum et magistratus, habebat reditus dispensatoresque. Veri similius videtur vetera instituta prius, quid efficere possent, tentata esse, quam nova institutio desideraretur.

Accedit, quod naucrariarum institutum, cum ad militares pecuniariosque usus tantummodo pertineret et terrae discriptio esset, gentilitati oppositum erat. Ipsa igitur natura earum videtur Solonis legibus magis respondere, quippe qui id ipsum egerit, ut opes vimque gentium imminueret. — Atque multo plus id valet, si quis naucraros pro senatoribus quoque habeat. Magis enim popularis haec institutio tum videtur, quam ut ante Solonem Athenis orta ea esse existimari possit.

Et, si senatus naucrari essent, necesse est, ut illis temporibus, cum deorum cultu eos quodam modo coniunctos fuisse. Quod si ita est, ut potestas eorum imminui poterat, ita non poterat non religiosum esse sanctitatem eorum plane abolere. Quam ad rem illustrandam satis est *βασιλέως* (archontis), *φυλοβασιλέων*, Areopagi mentionem facere. Ad religionem autem pertinuisse naucraros a nullo veterum scriptorum traditum est.

Itaque, si quis existimat, naucraros a saeculo septimo repetendos esse, id mihi veri simile non videtur. Sed multo minus veri simile est eos tum summi[1]) senatus munere func-

1) Sin autem — ut Schoemannus existimat — alter senatus, praeter Areopagum, naucrari fuerunt, causam non video, cur Solon

tos esse atque de loco suo honesto et cum religione coniuncto a Solone motos esse. Id enim ingenio eius non respondebat omnia prorsus mutare. Retinebat enim, quoad fieri poterat, speciem saltem pristini status rei publicae sed, ut ita dicam, intestinas et absconditas vires institutis inseruit, quibus paulatim opes ordinesque gentium perrumperentur [1]).

Quibus de causis omnino reiciendam esse eorum opinionem credo, qui putent naucraros vel prytanes eorum senatorio munere functos esse.

---

tam novum institutum mutaverit, praesertim quod non in gentibus sed in sedibus civium niteretur.

1) Cum Servio Tullio, rege Romanorum, Solon comparari potest. Ut enim ille classes centuriasque ex censu discripsit urbemque in tribus divisit ad tributa conferenda, ita Solon cives suos ex censu in quattuor classes distribuit terramque in naucrarias discripsit.

VII.

Quae sit Areopagi origo quaeque inter Areopagum ephetasque coniunctio fuerit.

Supra commemoravimus[1]), cum senatum antiquum Atheniensium quaereremus, rationem esse habendam ephetarum et Areopagi et naucrarorum et prytanum quorundam. Quibus de causis neque prytanes neque naucraros prytanesve eorum senatum fuisse existimaremus, iam demonstravimus. Proximum est, ut de Areopago disseramus. Primum hoc quaeritur, utrum ante Solonem fuerit Areopagus necne. In duas dividenda esse quaestiones videtur haec quaestio. Nam post Solonis aetatem Areopagum et iudicium fuisse constat et senatum. Itaque de Areopago iudicio et de Areopago senatu separatim quaerendum est.

De Areopago iudicio facilius est diiudicare. Cum nisi in Areopago constet de voluntariis caedibus iudicari non potuisse, apparet, ut post Solonem in Areopago iudicia haec exercita esse, ita etiam ante Solonem. Tota haec iudiciorum divisio, qua dicasteria suas quidque causas ab aliis diversas habebant, certe ab antiquissimis temporibus repetenda est[2]). Ut de ephetis iam ostendimus[3]), ita de Areopago fabulae

1) Vide pag. 37.
2) Meier et Schoem., ed. Lipsius 1881, p. 13.
3) Vide pag. 8.

veteres Atheniensium in ore versabantur. Omnium iudiciorum vetustissimum existimabatur[1]).

Dicasterium Areopagi ante Solonem fuisse nemo negat. Dubitari potest, num iudices, qui in Areopago consessus habebant, iidem fuerint senatores.

Scriptorum antiquorum permulti existimant Solonem Areopagi senatum instituisse. Ut Cicero — De officiis I, 22, 75 —: "Quamvis enim Themistocles iure laudetur, et sit eius nomen, quam Solonis, illustrius, citeturque Salamis clarissimae testis victoriae, quae anteponatur consilio Solonis ei, quo primum constituit areopagitas: non minus praeclarum hoc quam illud iudicandum est." Et paulo infra: ". . est enim bellum gestum consilio senatus eius, qui a Solone erat constitutus." Hoc tamen testimonium et similia cavendum est ne pluris ducamus. Etiamsi Solon Areopagi senatum non plane novum instituerit, tamen in eo tantum mutavit, ut ab oratore rem amplificanti auctor eius dici posset. Etiam Pollucis verba — VIII, 125 — ***Σόλων δ'αὐτοῖς προσκατέστησε τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλήν*** a scriptore fluxisse videntur, qui Solonem pro auctore Areopagi haberet. Quod uno tenore post ***ἐν τοῖς πέντε δικαστηρίοις*** illa verba sequuntur, mirum iis non videtur, qui id considerent quod Stoientinus dicit:[2]) "saepius apud Pollucem, qui paene semper nomina auctorum omittit, duorum testimonia ita coaluerunt, ut, nisi aliunde originem sciremus, ne suspicaremur quidem in uno enuntiato nos duos auctores habere"[3]).

---

1) Hellan. fr. 68 Muell. (= Schol. Eur. Orest. 1648), fr. 69 Muell. (= Suid. *Ἄρειος πάγος*); Paus. 1, 28. 5; 4, 5. 2. Cfr Philippi p. 8 sq.; Lang. p. 32 sq.; Meier et Schoem., ed. Lipsius p. 9.

2) De I. Pollucis auctor. 1875, p. 61.

3) Langius — Die Eph. u. d. Ar. 1874, p. 30 sq. — conatus est hunc locum, quasi vitiatus esset, ita ex alio loco Pollucis — 8, 117 —

Et Plutarchus — Sol. cap. 19 — tradit sua aetate plurimos censuisse Solonem *τῆς ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλῆς* fuisse auctorem. Neque tamen id quidem dissimulat quaestionem iam tum apud iudicem fuisse. Plutarchi verba haec sunt: *Οἱ μὲν οὖν πλεῖστοι τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλήν, ὥσπερ εἴρηται, Σόλωνα συστήσασθαί φασι· καί μαρτυρεῖν αὐτοῖς δοκεῖ μάλιστα τὸ μηδαμοῦ τὸν Δράκοντα λέγειν μηδ' ὀνομάζειν Ἀρεοπαγίτας, ἀλλὰ τοῖς ἐφέταις ἀεὶ διαλέγεσθαι περὶ τῶν φονικῶν. Ὁ δὲ τρισκαιδέκατος ἄξων τοῦ Σόλωνος τὸν ὄγδοον ἔχει τῶν νόμων οὕτως αὐτοῖς ὀνόμασι γεγραμμένον· „Ἀτίμων ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν, πρὶν ἢ Σόλωνα ἄρξαι, ἐπιτίμους εἶναι πλὴν ὅσοι ἐξ Ἀρείου πάγου ἢ ὅσοι ἐκ τῶν ἐφετῶν ἢ ἐκ πρυτανείου καταδικασθέντες ὑπὸ τῶν βασιλέων ἐπὶ φόνῳ ἢ σφαγαῖσιν ἢ ἐπὶ τυραννίδι ἔφευγον ὅτε ὁ θεσμὸς ἐφάνη ὅδε." Ταῦτα δὴ πάλιν ὡς πρὸ τῆς Σόλωνος ἀρχῆς καὶ νομοθεσίας τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν οὖσαν ἐνδείκνυται. Τίνες γὰρ ἦσαν οἱ πρὸ Σόλωνος ἐν Ἀρείῳ πάγῳ καταδικασθέντες, εἰ πρῶτος Σόλων ἔδωκε τῇ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῇ τὸ κρίνειν; εἰ μὴ νὴ Δία γέγονέ τις ἀσάφεια τοῦ γράμματος ἢ ἔκλειψις, ὥστε τοὺς ἡλωκότας ἐπ' αἰτίαις, αἷς κρίνουσι νῦν οἱ Ἀρεοπαγῖται καὶ ἐφέται καὶ πρυτάνεις, ὅτε ὁ θεσμὸς ἐφάνη ὅδε, μένειν ἀτίμους τῶν ἄλλων ἐπιτίμων γενομένων. Ταῦτα μὲν οὖν καὶ αὐτὸς ἐπισκόπει.*

---

emendare, ut Pollucem hoc fere modo scripsisse coniceret: *Σόλων δ' αὐτοῖς προσ[έθηκε τοὺς ἐννέα ἄρχοντας τοὺς καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν μετὰ τὸ δοῦναι τὰς εὐθύνας καὶ οὕτως] κατέστησε τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλήν.* — Pollux 8, 117 haec habet: *οἱ δ' ἐννέα ἄρχοντες οἱ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν μετὰ τὸ δοῦναι τὰς εὐθύνας ἀεὶ τοῖς Ἀρεοπαγίταις προσετίθεντο.* — Recte, credo, Philippi animadvertit causam non esse, cur aut hunc locum aut alios similes corruptos existimemus, cum potuerint e scriptore excerpti esse, qui putaret Areopagum a Solone conditum esse. Phil. 1874, p. 244.

Nonnulla de hoc loco Plutarchi animadvertenda esse censeo.

Primum e Solonis lege de atimis[1]) colligi potest Areopagum — sive iudicium erat sive senatus — ante Solonem fuisse et ab ephetarum dicasteriis (et a Prytaneo) aliquo modo diversum fuisse.

Deinde animadvertendum est Plutarchum, etsi de senatorio munere Areopagi ex hac lege nihil concludi potest, cum iudiciali munere Areopagi senatorium coniunctum esse tacite profiteri, quasi de ea re nihil dubitari possit. Ni ita esset, quo iure de τῇ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλῇ aliquid colligere potuit?[2]).

Tum argumentum, quo potissimum — μάλιστα — niti eos testatur Pl., qui Solonem existimant Areopagi auctorem, multo levius est quam adversariorum. Quis mirari potest Draconem de ephetis solum, nullam de Areopago mentionem fecisse, nisi qui non respiciat

a) leges Draconis paulo post Solonis aetatem sine dubio nisi per Solonis leges non esse cognitas, et Solonem, qui nihil de quattuor ceteris dicasteriis mutabat ideoque eas leges, quae ad ea pertinebant, sine ulla mutatione in suas leges excepit, de Areopago sine dubio tantum immutavisse, ut Draconis de Areopago legem excipere non posset.

b) Draconem, ut ipsi tradunt, de ephetis solum, iudicibus, scripsisse, nihil de singulis dicasteriis, Palladio, Delphinio, ceteris? Quid igitur est, cur de Areopagi dicasterio vel areopagitis mentionem facere debuerit?

---

1) De hac lege uberius disputabimus in cap. oct.

2) Cfr Aesch. Eum. v. 570, 683 ubi verbo βουλευτήριον, v. 687 ubi δικαστῶν βουλευτήριον de Areopago utitur poeta. — Soph. O. C. 947: Ἄρεος εὔβουλον πάγον. — Cfr Lang. 1874, p. 32 sq.

Ad postremum adiciendum est rationem illam, qua Plutarchus legis testimonium elevare conetur, nullo modo probari posse. Solonem enim, cum hanc legem ederet, non eos iudices spectasse, qui re vera iudicarent, sed eos, qui iudicaturi fuerint, si leges Solonis datae essent, quis est qui sibi persuadeat?[1]).

Solonis legem oblivionis — Plut. Sol. cap. 19 — testari vidimus Areopagum ante Solonem iudicium saltem fuisse. Quid? quod exstat etiam ex antiquitate testimonium, quod significare videtur Areopagum ante Solonem et senatum fuisse?

Apud Aristotelem — Pol. II, 9, 2 et 3 (cap. 12) — hoc scriptum habemus: *Σόλωνα δ'ἔνιοι μὲν οἴονται γενέσθαι νομοθέτην σπουδαῖον. ὀλιγαρχίαν τε γὰρ καταλῦσαι λίαν ἄκρατον οὖσαν, καὶ δουλεύοντα τὸν δῆμον παῦσαι καὶ δημοκρατίαν καταστῆσαι τὴν πάτριον, μίξαντα καλῶς τὴν πολιτείαν· εἶναι γὰρ τὴν μὲν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν ὀλιγαρχικόν, τὸ δὲ τὰς ἀρχὰς αἱρετὰς ἀριστοκρατικόν, τὸ δὲ δικαστήριον δημοτικόν. ἔοικε δὲ Σόλων ἐκεῖνα μὲν ὑπάρχοντα πρότερον οὐ καταλῦσαι, τήν τε βουλὴν καὶ τὴν τῶν ἀρχῶν αἵρεσιν, τὸν δὲ δῆμον καταστῆσαι, τὰ δικαστήρια ποιήσας ἐκ πάντων.* § 3 *διὸ καὶ μέμφονταί τινες αὐτῷ· λῦσαι γὰρ θάτερον, κύριον ποιήσαντα τὸ δικαστήριον πάντων, κληρωτὸν ὄν. ἐπεὶ γὰρ τοῦτ' ἴσχυσεν, ὥσπερ τυράννῳ τῷ δήμῳ χαριζόμενοι τὴν πολιτείαν εἰς τὴν νῦν δημοκρατίαν μετέστησαν· καὶ τὴν μὲν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν Ἐφιάλτης ἐκόλουσε καὶ Περικλῆς, τὰ δὲ δικαστήρια μισθοφόρα κατέστησε Περικλῆς, καὶ τοῦτον δὴ τὸν τρόπον ἕκαστος τῶν δημαγωγῶν προήγαγεν αὔξων εἰς τὴν νῦν δημοκρατίαν. φαίνεται δὲ*

---

1) Admirandum est, quod Weckleinio haec ratio rei expediendae placuisse videtur. Weckl. l. l. p. 25. Cfr. Wachsmuth. 1874, p. 479.

οὐ κατὰ τὴν Σόλωνος γενέσθαι τοῦτο προαίρεσιν, ἀλλα μᾶλλον ἀπὸ συμπτώματος κ. τ. λ.

Quis fuerit verus scriptor huius loci, non potest diiudicari. Schoemannus[1]) censet, Goettlingium, cum hunc locum contenderet pro spurio reiciendum esse, rationibus non admodum validis usum esse. Wachsmuthius[2]) satis confidenter dicit Aristotelem, non posteriorem interpolatorem, primam partem capitis duodecimi scripsisse. Neque minus confidenter Philippi sibi persuasum esse confirmat Aristotelem non fuisse illius loci auctorem; existimat autem hoc caput nihilo minus dignum esse, cui fidem habeamns, quia videatur fuisse scriptoris non imprudentis[3]). Ut Philippio, mihi videtur scriptor ille, quicumque fuit, locuples testis antiquitatis esse[4]).

Duae huius loci partes secerni possunt. Laudatores Solonis in priore parte adferuntur — § 2 *Σόλωνα δ'ἔνιοι μὲν οἴονται γενέσθαι νομοθέτην σπουδαῖον* —; deinde obtrectatores — § 3 *διὸ καὶ μέμφονταί τινες* —. Illis nihil scriptor noster contra dicit, obtrectatores autem refellit — *φαίνεται δὲ οὐ κατὰ τὴν Σόλωνος γενέσθαι τοῦτο προαίρεσιν, ἀλλὰ μᾶλλον ἀπὸ συμπτώματος* —. In utraque parte scriptor, post aliorum sententiam explicatam, suam proponit — § 2 *ἔοικε δὲ Σόλων*, § 3 *φαίνεται δὲ οὐ κατὰ τὴν Σόλωνος κ. τ. λ.* — Quae, quamvis sit modeste proposita, tamen

1) De Ar. et Eph. p. 6, n. 14

2) Die Stadt Athen im Alt., p. 478.

3) Ar. u. Eph. p. 205, 275 sq.

4) Est ille locus eiusmodi, qui doctorum virorum animos in se convertat. Nam cum multae aliae quaestiones, quae ad antiquitates iuris publici Atheniensium pertinent, hoc loco attinguntur, tum ab iis, qui de heliasticis iudiciis multi disputaverunt, saepius commemoratus est. Vide Schoem. Verf. Gesch. p. 34; Saev., De Areopago et iudiciis heliasticis, Ups. 1862, p. 22 sq.; Philippi l. l. p. 275 sq.

apparet haec credidisse saltem scriptorem. Quid ergo credidit? *ἔοικε δὲ Σόλων ἐκεῖνα μὲν ὑπάρχοντα πρότερον οὐ καταλῦσαι, τήν τε βουλήν κ. τ. λ.*

Num vere negari potest nos hoc loco habere sententiam scriptoris "non imprudentis", qui censeat Areopagi *βουλὴν* (non solum *δικαστήριον*) ante Solonem fuisse?[1]).

Areopagum igitur ante Solonem senatum fuisse neminem scriptorum antiquorum pro certo adfirmavisse vidimus. Id autem apparet, si quis antesolonium senatum fuisse censeat Areopagum, neque sententiam eius litterarum monumentis adversari, et exstare indicia quaedam, quae eam commendent.

Supra animadvertimus[2]) Plutarchum tacite — fortasse huius rei sibi ipse non conscius erat — senatorium munus cum iudiciali munere penes vetus illud consilium Areopagi conexuisse. Neque eiusmodi conexus atque societas abhorret a tota ratione veterum institutorum. Rex consilium — *βουλὴν γερόντων* — apud se habebat, principes civium optimo iure, eupatridarum. "Unum antiquitus principum collegium fuisse, quod et regibus olim et post regium imperium abolitum iis qui in eorum locum successerant magistratibus cum in re publica administranda tum in iudiciis capitalibus exercendis adesset, nos ipsi dudum statuimus; idque et ipsa quodammodo rei natura et aliarum civitatum exemplis comprobatur, veluti Lacedaemoniorum, apud quos senatus ille duodetriginta virorum, *ἡ γερουσία,* non solum rem publicam moderabatur sed etiam de *φονικοῖς* iudica-

---

1) Videtur mihi Langius hunc locum non recte interpretatus esse. Eph. u. Ar. p. 32.

2) Vide pag. 55.

bat[1]), et Corinthiorum, quorum *γερουσίαν* de caedibus *ἐν τῷ βουλευτηρίῳ* iudicasse Diodorus[2]) auctor est"[3]). Abolito iure se ipsum vel caedem propinqui ulciscendi, de caedibus — cum et de capite vitaque civis ageretur et saepe piaculis opus esset, tam arte cum religione coniunctis, ut a gentium principibus solum patrari possent — eupatridarum principes iudicabant. Veri simillimum est hoc dicasterium, ut Lacedaemone et Corinthi, ita Athenis idem fuisse atque consilium regium[4]). "Dubitari non potest, quin, ut cetera iudicia capitalia, ita haec *φονικὰ* antiquitus penes regem fuerint eosque principes, qui tamquam Homerica *βουλὴ γερόντων* regi in consilio erant. Hi de variis *φονικῶν* generibus in variis locis iudicabant, antiqua haud dubie religione sacratis, Areopago, Palladio, Delphinio, Phreatto, Prytaneo, quorum cum unus et sanctissimus esset et causarum magnitudine ceteris praestaret, Areopagus, factum est, ut ab hoc potissimum loco illud consilium areopagitarum appellaretur. Neque tamen uno iudicandi officio hi areopagitae fungebantur, sed de summa re publica cum regibus iisque qui in regum locum successerant archontibus consultabant; quamobrem senatus potius, *ἡ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλή*, quam iudicium, *δικαστήριον*, vocari solent. Non enim a Solone demum illud senatorium munus areopagitis mandatum esse etiam Aristoteles arbitratus est[5]): neque, opinor, postea duo illa munera, iu-

1) Arist. Politic. 3, 1, 7.

2) Diodor. 16, 65.

3) Schoem., De Ar. et Eph. 1833, p. 192.

4) Quod Weckleinius contendit res in Attica se aliter habuisse atque in cetera Graecia, et mera coniectura haec est nullo argumento firmata, neque haec sententia per se veri similis videtur. Weckl. 1873, pag. 29.

5) Aristot. Politic. 2, 9, 2. Vide supra p. 56.

diciale et senatorium, eidem collegio mandata forent, nisi id antiquitatis exemplo factum esset"[1]). Ex universa igitur ratione antiquitatis veri simile esse statuere possumus Athenis vetus illud consilium senatorum iudicia quoque exercuisse de caedibus similibusque causis, sive — id quod idem valet — Areopagum antiquitus et *βουλὴν* et *δικαστήριον* fuisse.

Quibus de causis, cum et legem Solonis habeamus, qua nobis traditur ante Solonem dicasterium fuisse in Areopago,

et Plutarcho verbum excidat, quo apparet eum putasse in Areopago iudicium et senatum coniuncta fuisse,

et scriptor quidam eius loci, quem in Aristotelis Politicis habemus, Areopagum pro senatu habuisse videatur,

et ex universa antiquitatis ratione conici possit Athenis fuisse consilium principum, quod et senatorio et iudiciali munere fungeretur,

neque veri simile sit postea duo illa munera eiusdem collegii futura fuisse, nisi id antiquitatis exemplo factum esset,

num temere concludi videtur hoc: veri simillimum esse Areopagum ante Solonem fuisse eumque et senatum et iudicium?

Videamus nunc, quam late hoc pateat.

Antea demonstravimus credendum esse ephetas antiquitus in quattuor illis dicasteriis iudices fuisse,

veri simillimum est eosdem iudices in Areopago de causis homicidariis iudicavisse atque in ceteris de similibus causis dicasteriis[2]);

---

1) Schoem., l. l. p. 195.

2) Cfr Schoemanni verba supra p. 59 allata: ". . . in variis locis iudicabant, antiqua haud dubie religione sacratis, Areopago, Palladio", cet.

itaque statuendum est ephetas etiam in Areopago iudicavisse.

Quod si ephetae in Areopago iudicaverunt,

et si — ut supra demonstravimus — areopagitae et iudices et senatus antiquus fuerunt,

sequitur ut ephetae et iudices in omnibus quinque illis dicasteriis fuerint et senatus antiquus[1]).

Sed huic sententiae adversari videtur lex illa Solonis. Reliquum est, ut disputatio nostra ad eam transferatur.

---

1) Cfr Muelleri sententia, supra p. 14.

VIII.

De Solonis lege oblivionis quae vocatur (Plut. Sol. cap. 19.)

Antequam ad Solonis legem illam, quam breviter iam antea attigimus[1]), pluribus verbis illustrandam transeamus, quaedam e memoria illorum temporum repetenda sunt.

Interfectis contra fidem Cyloneis, et Alcmaeonidae, de quibus unus tum praeerat archontibus, Megacles, sacrilegio contaminati erant et tota Atheniensium civitas. Ingravescentium plebis calamitatum adversarii Alcmaeonidarum non praetermiserunt, quin ostenderent causam esse quod dii impiis illis irascerentur. Solon, ut animos populi exacerbatos sedaret, Alcmaeonidis persuasit, ut iudicium trecentorum optimorum subirent — Plut. Sol. cap. 12: *καὶ δεόμενος καὶ διδάσκων ἔπεισε τοὺς ἐναγεῖς λεγομένους δίκην ὑποσχεῖν καὶ κριθῆναι τριακοσίων ἀριστίνδην δικαζόντων.* A quibus condemnati solum verterunt Alcmaeonidae, et corpora iam defunctorum eius gentis hominum effossa trans finem proiecta sunt.

Ubi trecenti illi viri iudicaverint, Plutarchus non tradit. Ut mihi quidem videtur, haec res a Plutarcho ita narratur, ut concludendum sit quaestionem voluntariam e x t r a o r d i-

1) Vid. supra pag. 55 sq.

nem Alcmaeonidas subiisse, quos *δεόμενος καὶ διδάσκων ἔπεισε Σόλων*. Itaque in voluntarium exsilium abierunt etiam ii, qui ipsarum caedium participes non fuerant. — Solonem autem crediderim neque, cum legem ederet, qua capite deminutos in civitatem restitueret, Alcmaeonidis omnibus voluisse postliminium difficilius reddere, neque eos respexisse, cum lege sua quibusdam hominibus, ignominia affectis, ne in civitatem redirent, interdiceret [1]). Sed qui re vera ipsarum caedium (*σφαγῶν*) [2]) participes fuerant Cyloneosque necaverant, sive Alcmaeonidae erant sive non erant, eos, ab Areopago vel ephetis condemnatos, a Solone, cum de restitutione ediceret, exceptos esse statuendum est.

Neque Cyloneos, qui tyrannidem expetivissent, restituere Solonem voluisse apparet. Quam ob rem nobis videmur recte exspectare, ut hac in lege etiam Cyloneos significatos habeamus.

Sed ipsam legem denuo inspiciamus: *Ἀτίμων ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν, πρὶν ἢ Σόλωνα ἄρξαι, ἐπιτίμους εἶναι πλὴν ὅσοι ἐξ Ἀρείου πάγου ἢ ὅσοι ἐκ τῶν ἐφετῶν ἢ ἐκ πρυτανείου καταδικασθέντες ὑπὸ τῶν βασιλέων ἐπὶ φόνῳ ἢ σφαγαῖσιν ἢ ἐπὶ τυραννίδι ἔφυγον, ὅτε ὁ θεσμὸς ἐφάνη ὅδε.*

De fide huius legis omnes viri docti, quos de hac re invenimus scripsisse, inter se consentiunt neque dubitant, quin lex vera et genuina Solonis sit [3]).

---

1) Cfr Schoem. N. J. 1875, p. 457 sq.

2) "*φόνος* a private murder, *σφαγή* a massacre scil. in motu civili", Dobree, Adversaria, ed. Scholefield, I, p. 181.

3) Adferamus quod de hac re Philippi — Ar. u. Eph. 1874, p. 216 — commemoravit. Legem censet a Bibliotheca Alexandrina repetendam esse, cuius legum collectiones a Callimacho dispositae et descriptae sint. Ex eo fonte Didymum suum de Solonis axonibus commentarium conscripsisse (M. Schmidt, Didymi fragm. p. 399). Didymo autem Plutarchum, cum de vita Solonis scriberet, usum esse (Rose,

Ex iis, quae supra diximus, manifestum est verba *ἐπὶ σφαγαῖς* ad eos, qui Cyloneos occiderunt, referenda esse — *οἱ δὲ* (Cylonei) *τοῖς βωμοῖς προσφυγόντες ἀπεσφάγησαν*, Plut. Sol. cap. 12;

ἐπὶ τυραννίδι ad Cyloneos — *κατέλαβε* (Cylon) *τὴν Ἀκρόπολιν ὡς ἐπὶ τυραννίδι*, Thuc. 1, 126;

ἐπὶ φόνῳ ad alios, qui caedis damnati erant — fortasse inter eos unus et alter fuerunt, qui caedis in Cyloneos factae participes fuerant.

Animadvertendum est neque tria illa genera scelerum neque dicasteria tria inter se pari modo coniuncta esse. Nam duo illa *ἐπὶ φόνῳ* et *ἐπὶ σφαγαῖσιν* quasi artius conexa verbis *ἐπὶ τυραννίδι* opponuntur. Itemque *ὅσοι* tertio loco, ante *ἐκ πρυτανείου*, non repetitur. Qua de re apparet legis verba ita premi non posse, ut putemus tria facinorum genera suo quidque dicasterio respondere [1]).

Sed ad tria illa dicasteria transeamus.

Areopagus ita cum ephetis et Prytaneo coniunctus commemoratur, ut colligi possit neque Areopagum neque cetera duo iudicia extra ordinem iudicavisse, sed omnia sollemnia fuisse. Nam si aliter se res haberet, mihi videtur necesse fuisse alio quodam modo eorum mentionem fieri. Quae causa ad eam, quam supra attuli, accedit, cur denegem Solonem lege sua Alcmaeonidas spectavisse. A r e o p a g u m igitur et e p h e t a s legis credo ad *φόνον* et *σφαγὰς* pertinere [1]).

Arist. Pseud-epigr. p. 415; R. Prinz, De Plut. Solonis fontibus, Diss. Bonn 1867). — Cfr etiam J. Droysen, De Demophanti, Patroclidis et Tisameni populiscitis Berol. 1873. — Wachsmuth, Die Stadt Athen, p. 479.

1) Lang., 1874, p. 46 sq. — Phil., 1874, p. 217 sq.

Tertio loco Prytaneum commemoratur. Quid autem Prytanei dicasterium hoc loco interpretandum est? Non idem fuisse atque illud, apud quod ephetae de ἀψύχοις iudicare solebant, manifestum est. Nam primum iudicium illud ἐπὶ, non ἐν Πρυτανείῳ consessus suos habebat[1]); deinde e verbis legis apparet hoc dicasterium ab ephetis diversum fuisse, cum seorsim commemoretur; tum de caedibus ab ephetis iudicia exercebantur, non ἐπὶ τυραννίδι.

Cum autem inter omnes constet in hoc dicasterio de Cyloneis iudicium factum esse, nonne apud Thucydidem, qui seditionem illam pluribus verbis tradit, iuvestigari potest, quid hoc Prytaneum fuerit? Potest; atque adeo ita, ut de hac re, me quidem iudice, vix amplius dubitari possit. Nam cum οἱ πολλοὶ ab obsidione arcis desisterent, archontibus permiserunt τό πᾶν διαθεῖναι ᾗ ἂν ἄριστα διαγιγνώσκωσι[2]). Archontes igitur ex suo arbitrio de Cyloneis iudicaverunt. Lex autem nostra docet Cyloneos in Prytaneo condemnatos esse. Sequitur, ut Prytaneum[3]) sit archontum[4]).

1) Weckleinius — 1873, p. 25 sq. — contendit h. l. nihil aliud quam dicasterium illud ephetarum intelligi posse. Legem nostram emendare vult verbis Δελφινίου ὑπὸ — quae e corrupta lege, apud Andoc. περὶ μυστ. § 77 inserta, excipit — ante τῶν ἐφετῶν interpolandis. Quam perverse hoc faceret, cum e lege "foedissime corrupta" (Joh. Droysen. 1873) ideoque a Weckl. ipso emendata, legem nostram emendare conaretur, quae multo certior quam illa esset, Langius (1874, p. 40), Philippi (1874, p. 235 sq. n. 67) demonstraverunt. — Arbitratur etiam W. — l. l. p. 28 — verbo σφαγήν significatum esse scelus eius, qui apud Delphinium, cum iudices φόνον non δίκαιον fuisse censerent, condemnaretur. Quo iure hoc fecerit W., ipse videat.

2) Thuc. 1, 126.

3) Gilbert. 1881, p. 118, n. 2.

4) Langius — 1874, p. 61—64 — conatus est demonstrare πρύτανιν et πρυτάνεις nomen deinceps fuisse (regi et) archontibus perpetuis et arch. decem annorum et arch. annuis novem. Certa tamen testi-

Archontes ante Solonem communiter iudicia quaedam exercuisse, locus, quem apud Suidam s. v. *ἄρχων* et in Lex. Seguer. p. 449 scriptum habemus, adfirmare videtur [1]): *Ἄρχοντες οἵ ἐννέα τίνες; θεσμοθέται ἕξ, ἄρχων, βασιλεύς, πολέμαρχος. καὶ πρὸ μὲν τῶν Σόλωνος νόμων οὐκ ἐξῆν αὐτοῖς ἅμα δικάζειν, ἀλλ' ὁ μὲν βασιλεὺς καθῆστο παρὰ τῷ καλουμένῳ βουκολείῳ — τὸ δὲ ἦν πλησίον τοῦ πρυτανείου — ὁ πολέμαρχος ἐν Λυκείῳ, καὶ ὁ ἄρχων παρὰ τοὺς ἐπωνύμους, οἵ θεσμοθέται παρὰ τὸ θεσμοθέσιον. κύριοί τε ἦσαν ὥστε τὰς δίκας αὐτοτελεῖς ποιεῖσθαι. ὕστερον δὲ Σόλωνος οὐδὲν ἕτερον αὐτοῖς τελεῖται ἢ μόνον ὑποκρίνουσι τοὺς ἀντιδίκους.*

Primos versus huius loci aliquo modo vitiatos esse pro certo adfirmari potest [2]). Post verba *πρὸ μὲν τῶν Σόλωνος νόμων* lacunam esse his de causis colligitur:

verbis *πρὸ τῶν Σόλωνος νόμων οὐκ ἐξῆν αὐτοῖς* (archontibus) *ἅμα δικάζειν* significari videtur archontes post Solonem plura iudicia quam antea communia habuisse — id quod falsum esse apparet,

verba *ὕστερον δὲ Σόλωνος οὐδὲν ἕτερον κ. τ. λ.* nisi iis verbis quae proxima antecedunt — *κυριοί τε ἦσαν κ. τ. λ.* — contraria non sunt [3]).

---

monia adferri nequeunt. Sed, etiamsi Langii coniectura falsa sit, potuerunt nihilo minus *ἐκ πρυτανείου* iudicia exercere archontes.

1) Langius, 1874, p. 72—76.

2) Schoemannus, Griech. Alterth. I³, 1871, pag. 437: »Vor Solon, versichert uns ein freilich sehr apokryphisches Zeugniss — Suid. unt. *ἄρχων* —, war es den neun Archonten nicht gestattet, gemeinschaftlich zu Gericht zu sitzen: aber das thaten sie auch in den uns bekannteren Zeiten nicht, und es muss jener Angabe irgend ein Missverständniss zu Grunde liegen».

3) Quod Langius de *Λυκείῳ* et *Θεσμοθεσίῳ* dicit, plane incertum est.

Itaque hoc fere modo lacunam explendam esse Langius censet:

καὶ πρὸ μὲν τῶν Σόλωνος νόμων
[ἅμα ἐδίκαζον ἐν τῷ πρυτανείῳ,
ὕστερον δὲ τῶν Σόλωνος νόμων]
οὐκ ἐξῆν αὐτοῖς ἅμα δικάζειν.

Credo cum Langio consentiendum esse hoc apud Suidam loco significatum esse ante Solonem archontes iudicia communiter exercuisse[1]). Quod *ἐν τῷ Πρυτανείῳ* — de interclusione illa *τὸ δὲ ἦν πλησίον τοῦ Πρυτανείου* admonet, ex qua concludit *Πρυτανεῖον* antea commemoratum esse — adiciendum esse censet, id aeque certum non videtur.

Ac ne quid praeteream, quo rectius lex nostra intelligatur, perspicuum est verbum *καταδικασθέντες* ad omnia tria dicasteria pertinere itemque *ὑπὸ τῶν βασιλέων*; talis enim est ordo verborum[2]). Quod si res se ita habet, plane perversum videtur existimare — id quod permulti contenderunt — verbis *ὑπὸ τῶν βασιλέων* quattuor illos *φυλοβασιλεῖς* significari, quorum leve apud Prytaneum fuisse munus constat *τὰ ἄψυχα* condemnata trans finem transportandi. *Φυλοβασιλεῖς* enim apud Prytaneum, non in Prytaneo adfuisse constat; neque traditum est eos cum ephetis in ullo

1) Schoem. l. l. p. 437: »Ein collegialisches Verfahren in gewissen Geschäften ist ihnen vor Solon gewiss nicht verwehrt gewesen, sondern hat wohl eher noch häufiger stattgefunden als später, wo sich nur wenig dergleichen nachweisen lässt«.

2) Primus hoc admonuit Kayemannus, De origine ephetarum, 1823. — Philippio tum contigit, ut hanc sententiam plerisque probaret. 1872 (1874). — Schoemannus autem N. J. 1875, p. 163: »Dass die *ὑπὸ τῶν βασιλέων καταδικασθέντες* mir wie Ihnen nur die im Prytaneion, nicht aber die auf dem Areopag oder von den Epheten verurtheilten zu sein scheinen, darf ich wol als selbstverständlich ansehen«. Sed cur hoc per se intelligatur, non video.

alio dicasterio iudiciis interfuisse nisi apud Prytaneum. Ceterum, si Solon φυλοβασιλεῖς respexisset, quae est causa, cur βασιλεῖς scribere maluerit?[1]).

Quod archon βασιλεύς unus erat, hoc autem loco ὑπὸ τῶν βασιλέων scriptum videmus, multa disputata sunt. Et Philippi[2]) et Langius[3]) de hac re uberrime scripserunt, quibus plurimi adsensi sunt. Longum est eorum argumenta omnia exponere. Satis erit commemorare viros illos doctos compluribus exemplis demonstravisse non alienum esse a Graeco sermone verbum pluralis numeri eos significare, qui singuli deinceps aliquid fecerint.

Quid autem e nostra de Solonis lege disputatione erui potest ad universam illam de ephetis quaestionem diiudicandam?

Apparet tria illa genera iudiciorum inter se disiuncta fuisse.

Primo loco Areopagus commemoratur. Supra[4]) vidimus ephetas sine dubio eosdem fuisse atque areopagitas. Areopago autem, ut qui senatus quoque esset rei publicae, etiam archontes omnes interfuisse veri simillimum est[5]). Constabat igitur ex ephetis et archontibus Areopagus.

Sequuntur ephetarum iudicia — ἐκ τῶν ἐφετῶν, nam in ceteris quattuor iudiciis (Palladio cet.) ephetae soli iudicabant.

---

1) Cfr Droysen., 1873. — Phil. 1874, p. 18.
2) Philippi, 1874, p. 236—239.
3) Langius, 1874, p. 41—44.
4) Pag. 61.
5) Ut Lacedaemone duo reges numerum compleverunt triginta senatorum.

In Prytaneo supra vidimus archontes novem iudicavisse.

Omnibus his iudiciis τὸν ἄρχοντα βασιλέα praefuisse apparet, atque eius fuisse τὸ δικάζειν, ceterorum τὸ διαγιγνώσκειν.

Quid? si verba legis nostrae, quomodo inter se conexa sint, diligentius recenseamus, nonne haec ipsa adfirmant iudicia illa tali vinculo inter se coniuncta fuisse? Nonne ὅσοι ἐξ Ἀρείου πάγου ut totum et summa iis q. s. ὅσοι ἐκ τῶν ἐφετῶν ἢ ἐκ Πρυτανείου opponuntur?

Itaque lex nostra Solonis sententiae illi non adversatur, quam cum alios[1]) tum Muellerum[2]) iam saepe commemoravimus enuntiavisse et quam Langius uberius explicavit atque veri similem esse probavit[3]).

---

1) Ut Luzacum, Platnerum: Vide supra p. 14. — Platner de illa inter ephetas Areopagumque et coniunctione et discrimine eodem fere modo atque Langius iudicavit.

2) Difficultatem, quam lex Solonis praebebat, non expedivit Mueller.

3) Areopagum ex ephetis et archontibus constitisse Langius numero quoque ephetarum interpretando confirmare conatur — l. l. p. 18—23 — Censet enim eodem tempore, quo novem archontes annui instituerentur (a. 683 ante Chr. n.), senatorum numerum ita constitutum esse, ut sexaginta eligerentur, quini deni e singulis tribubus (φυλαῖς). Detracto numero novem archontum ceteri quinquaginta unus restant, qui est numerus ephetarum.

Sed, quamquam constat ephetas anno 409/8 quinquaginta unum fuisse, de numero eorum, quod ad antiquiora tempora attinet, nihil pro certo adfirmari potest.

Draconis aetate ephetas quinquaginta unum fuisse Langius, Philippi, alii statuerunt, lege Draconis, quam in lapide anni 409/8 servatam habemus, innixi.

Sed ex hac lege nihil aliud concludi potest nisi anno 409/8 ephetas quinquaginta unum fuisse. Etenim, si numerus post Draconem mutatus sit, quid est cur fieri potuisse negemus, ut numerus mutatus in lege insculperetur, etiam si cetera legis verba servarentur?

Quod autem diximus, cum rerum natura atque progressu hanc sententiam maxime consentaneam esse, id facile intellegitur.

Nam veri simillimum videtur[1]) antiquissimis temporibus eupatridarum principes consilium regium fuisse eosque ephetas appellatos esse — vis enim huius verbi videtur fuisse »civium eupatridarum praefecti"[2]); ex eorum numero deinde,

---

Ob eam rem Langium non sequimur, cum iam anno 683 eundem ephetarum numerum fuisse censet indeque proficiscitur ad numerum interpretandum. Quamquam minus arcessita ea quidem sententia videtur, quam cum ad quadraginta octo (duodenos e singulis φυλαῖς) viros Schoemannus, ut numerum expleat, tres adicit ἐξηγητάς.

Veri simillimum mihi videtur numerum ephetarum antiquitus quodam modo ad phratriarum numerum definitum fuisse, sive plures e singulis phratriis eligerentur, sive singuli, ut Hammarstrandius de antiquo senatu censet (v. supra p. 39) itemque, quod ad ephetarum numerum ante annum 683 attinet, Langius, qui duodecim illis — cum singuli e singulis phratriis eligerentur — quattuor quoque φυλοβασιλεῖς adnumerat. (Die Eph. u. der Ar., p. 23). Fortasse deinde numerus eorum augebatur, nescio an urgentibus ceteris ordinibus, georgis et demiurgis, qui etiam id seditione consecuti sunt, ut archontum quinque ex iis eligerentur. Postea, cum Clisthenes tribus decem instituisset, quinos e singulis tribubus electos esse arbitror, unumque additum esse ad imparem numerum efficiendum (cfr iudicia heliastica). Mueller idem censet, sed quinquagesimum primum τὸν ἄρχοντα βασιλέα fuisse arbitratur.

1) Langius l. l. p. 24—31.

2) Cum munere et dignitate ephetarum quam maxime congruit interpretatio ipsa nominis, quam Langius praebuit — De ephetarum Atheniensium nomine commentatio, Lips. 1873. — Verbum enim ἔτης ex eo modo, quo apud Homerum hoc vocabulam usurpatum videmus et in inscriptione quadam Elea (C. I. I p. 30) et in tabula foederis pacis a Thucydide 5, 79 allata, concludit primo cognatos significasse, deinde cives optimo iure, eupatridas. Ἔτην etiam apud Atticos in usu fuisse verba ὦ 'τᾶν (quod Apoll. Dysc. censet vocativ. verbi ἐτᾶν esse, cfr μεγιστᾶν, ξυνᾶν, νεᾶν) et ἑταιρία arguere existimat. Radicem verbi esse σFε, ἑ; antiquitus ἔτην appellatum esse σFέτην, Fέτην, idem atque suus, itaque ἐφέτης pronuntiatum esse, non ἐπέτης. — ἐφέτας igitur esse statuit τοὺς ἐπὶ τοῖς ἔταις ὄντας, praefectos »etarum», ci-

regio imperio sublato, archontes fortasse delectos esse, ephetas illos, vel senatores, de caedibus quoque et de gravissimis causis rei publicae iudicavisse, sed archontes iudicio primo tantummodo inter omnia, Areopago, interfuisse, sive tempus iis deerat sive alia de causa — archontem autem, cui *βασιλεὺς* nomen erat, omnibus quinque iudiciis praefuisse constat.

Quae si ita sunt, Solonis ingenio respondebat mutatio illa Areopagi et ephetarum, cuius auctor erat. Quae etsi permagna erat, primo perexigua videbatur esse.

Veri simile enim est ante Solonem ephetas paene omnes aliquando archontes fuisse, quam ob rem haudquaquam mirum videri potest a Solone archontes qui fuerant in Areopagum admissos esse. Et ut antea, ita primo quidem post Solonem tempore ex eupatridis plurimos archontum electos esse credere licet depositoque magistratu in Areopagum receptos[1]); paulatim autem etiam eos, qui ceterorum ordinum erant, eo iure, quo e legibus licebat, frui coepisse.

Ephetae autem, ex eupatridis electi, etiam in posterum dicasteria quattuor illa tenebant. In iis enim ad iudicia et facinora rite exercenda atque expianda interiore quadam opus erat religionum cognitione.

---

vium eupatridarum praefectos. De verbis *ἐπάρουρος, ἐπήρετμος, ἔφυδωρ, πρόξενος,* aliis admonet.

Praeter Langii interpretationem duodecim alias habemus, quas Langius l. l. recenset (excepta una, quam Forchhammer anno 1876 demum proposuit). Inter eas Schoemanni omnibus praestat, qui voc. *ἐφέτης* ex *ἐφιέναι, ἐφίεσθαι,* praecipere, imperare, ductum esse existimabat »quod cognita causa praeciperent, quid de reo faciendum esset, utrum supplicio adfici an exsulare an expiari deberet«.

1) Sicut Romae quoque multis post annis, quam e lege licebat, plebeii homines tribuni militum cons. pot. facti sunt.